UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

urn:nbn:de:hbz:466:1-54992

Visual Library

Sk. 3217.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th.

J. II
13

R^do in X^to Patri

Hermanno Busenbaum

Soc^ti JESU Sacerdoti et

suo quondam in humani-

oribus Magistro.

Ferdinandus Decanus

Leodiensis Baro de Bocholtz

Dilige

Plenitudo legis Dilectio.

accepit à R. P. Hermanno Busenbaum

P. Henricus Reyning.

BONA VOLVNTAS OPTIMÆ CONSENTIENS.

SEU DE SEQUENDO IN OMNIBUS DUCTU PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

Per R. P. JOAN. ERARDUM FULLONIUM è Societate JESU.

Collegii Societatis JESV Paderbornæ


Acceßit ad calcem Index luculentus Concionum in Adventum, iſti argumento aptatus.

Anno 1669.

LEODII,
Typis JOANNIS MATHIÆ HOVII,
ſub ſigno Paradiſi Terreſtris. 1657.

Superiorum permiſſu.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILLUSTRISSIMO

AC REVERENDISSIMO,

D. FERDINANDO

BARONI A BOCHOLTZ

ET OREY

DECANO LEODIENSI

VICE-DNO MONASTERIENSI

PRÆPOSITO S. PETRI LEOD. &c.

Hæc lucubratiuncula non claram modò oculorum tuorum lucem, Ill.me & R.me Domine, *verùm*

etiam quorumvis de vulgo judicia formidaret, si molis magnitudo, vel argumenti novitas quæreretur. Neque enim in illa scribenda propositum mihi fuit multa dicere: sed verba rebus admetiri, & res materiæ aptare, imò & aliquid nonnumquam cogitationi indagandum, expendendúmque relinquere. Nec putavi in argumento veteri defuturum,

rum, quod novè diceretur, & , ut intactum aliis non foret, longè tamen aliter tangeretur, placerétque de novo ac prodesset. Quomodò lyram eamdem non eodem modo diversi artifices percutiunt: & alii aliter iisdem organis canentes, cum voluptate audiuntur. Qualiscumque tamen libellus est, sub adspectum Tuum atque in manus venire au-

det, & apud Te hospitium deligere, ut ornatior inde procedat in publicum. Fiduciam illi fecit sincera Tua erga me, ac perpetua benevolentia, multis supra meritum meum, toto hoc, quo in D. Lamberti apud vos jam dixi, quinquennio, testata. Accedit, quod hoc ipsum argumentum quia probasti cùm audires, spes est fore, ut non improbes

cùm

cùm legeris: & oculi Tui, fideliſsimi ad animum nuntii, aurium Tuarum judicium non damnent. Denique, ut iſthæc abeſſent, invitârit tamen perſpecta illa humanitas tua, quâ generatim omnes excipere ac complecti conſuêſti. Quemadmodùm enim cum pietate, & rerum internarum animíq; curâ ingenium ſocias, & vivacem in rebus agen-

dis solertiam: ita & avitæ nobilitati, eminentiq; inter Illustrissimæ Leodiensis Ecclesiæ primores dignitati, suavem modestiam jungis, & affabilem erga quoslibet comitatem. Et quomodò tecum nullus familiariter agit, qui illud non videat, nisi obtusi admodùm aut occupati visûs est: ita vix ullus, quantumvis hebes, Te videt, qui hoc non experiatur

riatur & tangat. Excoluisti scilicet ipse per te, ac perfeciſti, continuo honesti studio & rerum usu, quidquid illustre & laudabile, velut hæreditario jure trãsfusum, à Generosis majoribus tuis acceperas. De quibus non incommodè olim dici potuit, ad avita, non minùs animorum quàm gentis, insignia:

EPISTOLA

Scutum tergemino rictu implevére Leones:
Crista coronatæ est cassidis albus olor.

Hoc insigne tibi patrium est, stirps clara, Bocholthzî,
Magnis juncta animis cui placet integritas.

Verùm ut semotiora ab ævo ac memoria nostra non arcessam: eum patrem habuisti, & in ejus patrui oculis educatus es, quorum hunc merita

merita sua, & Ecclesiæ Leodiensis judicium, post certa virtutum experimenta, ad Summi Præpositi dignitatem evexêre: illum supremo inter civilia Prætoris officio, Serenissimi Principis Ferdinandi *electione, functum, publica privataq́; vita illibata apud probos fama, in magna licèt varietate temporum, semper comitata est. Matrem habes,*

lectissimam matronam, Eminentissimi Cardinalis ac Principis Groesbecani *ex fratre neptem, suavitate morum ac pietate in primis commendabilem, prudentiâ & sapientiâ supra sexum eximiam. Cui in hoc tempus à Deo vita servata est, ut non te modò, sed & Fratres Tuos, cùm dignitatibus spectabiles, tum virtutibus amabiles suiq; similes*

miles cerneret: & noviſſimè Equitem Teutonicum videret, unanimi collegarum omnium ſuffragio Electum, ad nobiliſſimam Iuncetanæ Provinciæ Præfecturam. Ingrediatur itaque ad te fidenter **Bona Voluntas**, *ſeſe in tuis tuorumq́; moribus, velut in in ſpeculo, agnitura: & novum tibi ex me offerat propenſæ in te voluntatis, atque obſe-*

obsequiorum pignus. Debet enim hoc tibi, debebítque semper observantia & gratitudo mea, Téque post Serenissimum Præsulem ac Principem MAXIMILIANUM HENRICUM, in præcipuis patronorum numerabit, imò, quæ dignatio & benignitas Tua est, amicorum: ut quò agis humaniùs, eò sim pro-

DEDICATORIA.

propensiùs, ex duplicis officii ratione,

ILL.MÆ ac R.MÆ D.NIS V.Æ

Obsequentissimus in Christo servus

JOANNES ERARDUS FULLONIUS

è Societate JESU.

Leodii ipso S. Lamberti

1657.

LECTORI

TRACTATUM hoc fuit ab aliis multis, tum priſcis, tum recentioribus argumentum, & ſapienter, & piè: ad componendas firmandasque in Deum, temporibus quibuſvis, inquietis præſertim & calamitoſis, qualia jam olim noſtra fuêre, Chriſtianas mentes: Eâdem ego de cauſſa, cùm illud mihi ad privatam meam utilitatem familiare efficere conatus ſum: tum

etiam

etiam aliis commendare dicendo, & ad concionem exponendo, maximè abhinc quinquennium, quando externorum militum populationibus Leodiensis ditio ardebat, jam pacata & tranquilla, Deo gratiæ, Sereniſſimoque Principi Dei adminiſtro. Horis interim ſubciſivis recognovi, & ſcripſi, quod dixeram, materiamque omnem Commẽtariis & Excurſibus in primum Machabæorum librũ intexui: ut argumenti tam fructuoſi utilitas non per me tan-

tantùm, sed etiam per alios latiùs patere posset. Cum autem Excursus iste paullò longior, quàm pro Commentariorum appendice aut parte evaderet: visum est illum per se ad publicam lucem producere, & anteambulonis instar præmittere. Spero futurum, ut legentium aliqui idem judicent, quod audientium multi censuêre; non ordinem modò alium omninò, sed etiam res non paucas adhuc intactas à me adduci. Neque enim tam garrulus sum, ut

post

post tot sapientes eruditósque viros ad loquendum prosiliam, nisi aliquid existimem me habere silentio melius. Sed nec tam alienæ laudis parcus sum, ut qui sequentes ex me velim proficere, ex præcedentibus me profeciſſe non fatear. Evigilavi, cum Ecclesiastico Siracide noviſſimus, sicut qui colligit acinos post vindemiatores : aut, sicut Moabitis vidua, spicilegium feci non indiligens, post consanguineos de Christi familia messores. Simul ex plena

vin-

vindemia, & ex demessa segete, non invitis dominis aliquid decerpsi, spicísque & acinis industriâ meâ adlectis commiscui, atque in unum acervum contuli. Inde, Lector, salubrem menti tuæ cibum ac potum, perlegendo & meditando, conficere poteris: téque, & alios, si id muneris tui est, adversùs quotidiana eventa comparare, quæ vitam humanam, seu publicè seu privatim, ubicumque tamdem agatur, incursant. Neque enim sub

Sole

Sole locus est ullus, adeò tranquillus ac stabilis, ubi non volvantur horæ diei, & ubi non fiat, vespere & manè dies unus. Neque ulla tam alta, tamque fundata fortuna est, super quam septem tempora mutari non possint. Isthæc, de argumenti hujus & vetustate & novitate, ideò te præmonendum putavi, ne nauseam & præjudicium ad legendum afferas: imò operæpretium facturum te putes, si postquam aliorum scripta videris, etiam nostra non negligas.

gas. Sic enim comparato, & sentienti, jucundior, &, quod maximè opto, fructuosior futura est lectio. Placeat, ut prosit: non autem prosit, ut placeat.



APPRO

APPROBATIO.

BONA, omnium bono in lucem prodibit, VOLVNTAS OPTIMÆ CONSENTIENS : seu liber hic à Reverendo Admodum P. JOANNE ERARDO FVLLONIO Societatis JESU Theologo, & Cathedralis Templi Leod. Ecclesiaste, compositus. Leodii 1. Septembris 1657.

JO. ERNEST. DE SURLET

Vicarius Generalis Leod.

Facultas R. P. Provincialis.

EGo infrascriptus Societatis JESU per Gallo-Belgium Provincialis juxta privilegium eidem Societati concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos absque superiorum permissione imprimant, facultatem do JOANNI MATHIÆ HOVIO Typographo Leodiensi, ut librum cui titulus est *Bona Voluntas optimæ consentiens* &c. à Patre JOANNE ERARDO FULLONIO ejusdem Societatis Theologo compositus ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere possit. Datum Insulis 10. Sep. 1657.

EVERARDUS HOCKIUS.

BONA

BONA VOLUNTAS OPTIMÆ CONSENTIENS

SEU

DE SEQVENDO IN OMNIBVS DVCTV PROVIDENTIÆ DIVINÆ.

PROOEMIUM.

Quæ sit bona Voluntas?

I. *Bonitas voluntatis ex natura.*

NATVRÆ conditor, qui omnia fecit non tantùm bona, sed etiam bona valdè, bonum etiam inter illa corporeorum omnium dominum hominem condidit: bonam illi vitam donavit, quâ vegetaretur; bonos sensus, quibus uteretur; bonam mentem, quâ tum cætera regeret, tum ipse ad DEI arbitrium regeretur. *Fecit* enim *Deus hominem rectum*, vel Salomone

teste, Eccl. 7. Nec primum modò hominem rectum fecit, ante quàm pluisset super terram, puriſſimis primævæ juſtitiæ atque innocentiæ fontibus irrigatam: verùm poſt fœdos ac lutoſos peccati imbres, admiſsâ inobedientiæ maculâ, in univerſam Adami poſteritatem tranſiturâ, manſit tamen quædam naturæ humanæ rectitudo, menti perfectio, voluntati bonitas. Neque enim magiſtra humanæ mentis voluntas, etſi ex ſe poſt peccatum divinis præſidiis deſtituta, libertatis tamen jacturam fecit. Habet etiamnum optionem contrariorum, & ſui ſuorumque domina eſt. Poteſt ad arborem ſcientiæ boni ac mali manus intelligentiæ, vel appetentiæ, extendere, poteſt continere. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi,* Eccli. 15. Etſi conſtet, poſt peccatum ab arbore vitæ prohibitam eſſe voluntatem: quia bonum, abſque ſingulari Numinis auxilio, nec ſemper poteſt, nec diu, neque utiliter ad vitæ æternæ conſecutionem amplecti.

II. No-

II. *Vera voluntatis bonitas.* Noſtrum itaque eſt, cum propitio Numine, ejusque auxiliante gratia, perficere quod naturæ deeſt: & bona volendo id aſſequi, ut voluntas noſtra non tantùm bona ſit & bona valdè, ſed etiam optima. Nam ſi omnium optimæ volũtati, id eſt divinæ, illam applicemus, ſumet inde pretium, & ex humana ſeſe transfigurabit in divinam. Diſertiſſimus Hebræorum Philo libro de Temulentia perhibet, Tarandum, animal bovis magnitudine capite cervino, id à natura accepiſſe, ut rerum omnium, quibus applicatur, colores fallendis venatoribus induat. Idem de Chamæleonte & vetuſtas tradidit, & recentiorum multi ſcripsêre: licèt Gaſſendus lib. 5. de vita Pereſquii Senatoris Aquenſis in Provincia, curioſiſſimi naturæ indagatoris, narret, ipſum, nutritis de induſtria chamæleontibus, deprehendiſſe, non omnes ab illis colores indui, ſed nigredinem ſolummodò aliquam, qua parte ad Solem ignemque obverterentur. Verùm Tarando Philonis fideí, Chamæleonte experientiæ

relicto: hoc certum, quod de animalibus istis opinio vulgavit, hominum singulorum voluntati contingere, ut cunctarum rerum, ad quas amando desiderandóve adjungitur, colores, formámque, aut deformitatem accipiat. Mala voluntas est, quæ ad malum fertur; pessima, quæ ad pessimum: bona est, quæ bono inhiat aut delectatur; optima, quæ optimo.

III. *Ejus officium.* Ab hoc fonte manavit Epicteti, Ethnicorũ Philosophorum æquissimi & saniſſimi, breve ac celebre præceptum, ἀπέχου καὶ ἀνέχου. *Abstine, & sustine.* Abstine à vitiis, ne malus fias, mala volendo. Sustine adversa, ne malè ferendo, aut ferre nolendo, malus fias. In hæc duo verba summam Philosophiæ universæ, & virtutem omnem contulit consummati sapientis. Quamquam nos hodie commodiùs in præcepta tria officium Bonæ voluntatis, & compendium sanctimoniæ dividimus: *Age, Abstine, Sustine.* Cùm enim Optima DEI Voluntas imperet aliqua, vel suadeat; prohibeat

hibeat quædam, alia permittat : bona hominis voluntas ad illam sese accommodat, agendo ex ejus præceptis & consiliis, abstinendo à vetitis, tolerantiam suam aptando permissis. O nos fælices quibus & facienda, & cavenda, & patienda ex DEI arbitrio, manifestè cognita sunt. A Moyse olim Deut. cap. 4. Israëlitæ appellati *populus sapiens, & intelligens, gens magna.* Dominus enim dux eis fuerat, *& cum eo Sanctorum millia, & in manu ejus ignea lex :* imò in ipso castrorum motu ac metatione *ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum: ad imperium Domini erigebant tentorium, & ad imperium illius deponebant.* Quantò beatior illis es, Christiane, *quia, quæ placent Deo, manifesta sunt tibi,* longè clariùs, ex quo *loquens olim Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in filio.* Ex illo diviniſſimo doctore, in eo absolutissimo exemplari, didicisti, quid & quemadmodum agas, fugias, patiare.

IV. *Præcipuum est sustinere.* In agendo est virtutum plurimarum exercitatio: in abstinendo fuga plerorumque vitiorum. Qui utramque hanc officii sui partem persolvit, implêsse illud videatur Regii Vatis Psalmo 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Nondum tamen partes omnes collegit perfectæ voluntatis. Supereſt tertia, eáque difficillima, ut eventa quælibet, quantumvis reluctante naturâ, conformiter divinæ voluntati excipiat. Qua in re ingentibus animis sæpissimè opus est: ut & mala, quæ abhorrebat, ingruentia fortiter tolerct; & bona, quæ expetebat abeuntia æquanimiter dimittat. Id ubi perfecerit: tum demum pronuntiabimus, consummatum ab illo totum opus Domini. Christus Domini, Salvator noster, qui didicit & docuit, ex iis quæ passus est, obedientiam, exhausto ad extremam usque guttam calice passionis, toleratis omnibus quæ divinum consilium decreverat fieri, dixit denique moribundus, *Consummatum est.* Egerat semper quæ placebant Patri, quia Unigenitus

genitus erat ex sinu ejus : abstinuerat ab omnibus, quæ illi displicebant, quia peccare non poterat : nec tamen potuit dicere, *Consummatum*, donec omnia DEI voluntate constituta sustinuisset. Consummata enim virtus, & absoluta perfectio, in sustinendo magis est, quàm in Agendo, vel in Abstinendo.

Tolerantiæ necessitas.

v. Ingeniorum ac morum perpetua mobilitas ubique fermè frequentem componendi corporis mutationem solet inducere, alibi tamen atque alibi sæpiùs. Si in publica ejusmodi mutatione videas amicum novâ vestium formâ indutum, aut capillitio sibi dispare, & scisciterê, unde isthoc: unum hoc respondebit, Jam moris est. At unde mos enatus? A Rege cæptus, ad aulicos emanavit: ex aula in plateas derivatus, ad officinas denique & caulas ipsas effluxit. Ita avorum nostrorum memoriâ, cùm Galliæ Rex Franciscus curando vulneri capillos posuisset, certatim aulici exemplum secuti, & mox Gallia universa comata esse desiit, donec alio habitu Princeps

incederet. Tanta sunt imitandorum Regum studia. Moris jam olim fuit ab orbe condito, ut viri boni adversis exercerentur: nam, vel teste generosissimâ viduâ, *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles*, Judith cap. 8. At longè latiùs mos ille inolevit, ex quo Rex ipse noster per omnem vitam vili habitu indutus, *proposito* quamvis *sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* Ad ejus formam Christianis patiendum est, si tamen Christum induerunt, & Christo in carne passo, eâdem cogitatione armari volunt divinæ voluntatis. Ita Apostoli monuêre, & nos hortabimur: non sic tamen, ut inter patiendum adimere velimus Christiano, aut naturæ sensum, aut cogitationum ad naturam aptarum solatia.

VI. *Insensibilitas non est patientia.* Celebratissimum juxta & nobilissimum ante Christum sustinendi exemplar Jobus, quod prisca tempora spectarunt, omnia mirantur: sic alias ex aliis calamitates irruentes, ac novissimè liberorum omnium interitum, excepit,

excepit, ut vulnera sentiret pariter & ferret. Nam, ut rectè monet Gregorius lib. 2. Moralium cap. 10. *Non est pondus virtutis, insensibilitas cordis:* contra verò, *qui dolorem verberum ultra quàm necesse est sentit, virtutis custodiam deserit.* Quemadmodùm non satis sana sunt membra, quæ sub ictibus aut stupent, aut nimis dolent. *Beatus itaque Iob veræ Philosophiæ regulam tenuit:* scissis enim vestimentis, & tonso capite, quod gentibus comam nutrientibus lugendi solemne erat, corruens in terram adoravit. *Nec omninò ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret: neque omninò motus est, ne nimis dolendo peccaret.... Vt dilectionem proximo exsolveret, impellit filiis luctum: ne dilectionem* DEI *desereret, explevit inter gemitus orationem.* Naturæ lacrymas & mœrorem dedit, ne hominem exuisse videretur: DEO submissionem ac patientiam pro malis inflictis reddidit, ut se bonæ voluntatis hominem esse testaretur.

VII. *Non respuenda consolationes humana.*

Expendens ibidem Gregorius cap. II. & 12. dolentis & adorantis Jobi voces, advertit, primùm sibi ex humanæ conditionis consideratione solatium sumere: deinde altiùs ad Providentiæ Divinæ decreta erectam mentem corpore prostrato attollere. *Nudus*, inquit, *egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Nudum me huc intrantem terra protulit: nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Qui ergo accepta habui, sed relinquenda perdidi, quid proprium amisi?* Eatenus nihil supra naturam & communem rationem protulit, ad patientiæ suæ solatium. Tantumdem ex ore Stilpontis, Biantísve, aut Epicteti audiremus: fumante patriâ, amissâ libertate, caris omnibus pignoribus ereptis, generosè tamẽ ac magnificè dicentium, nihil suum fuisse quod extra se erat, omnia sua manere integra, non factam propriæ rei jacturam. At Philosophus noster in meliore schola eruditus, ad confirmandam perficiendamque tolerantiam, fide divinâ supra rationem

evehi-

evehitur: nec DEVM tantùm uti bonorum auctorem, ita pœnæ calamitatisque omnis fontem, quod & isti fecêre, agnoscit: sed omissâ de Sabæis Chaldæisque prædonibus, ac de tempestatum injuriis querimoniâ, in primo rerum omnium motore mentem defigit, gratiásque agit: *Dominus*, inquit, *dedit*, *Dominus abstulit*, *sit nomen Domini benedictum.*

VIII. *Fidei & rationis amicitia.* Tanti Heroïs exemplo non pigebit interdum cogitationes ex natura petitas ad miserorum solatium adducere: audiemus aliquando rationem, & philosophis non nostris modò, sed etiam alienigenis, ex ea disputantibus ac decernentibus, lubentes auscultabimus. Loquetur Seneca, adducetur Epictetus, proferentur magnanimè dicta factaque Infidelium Ethnicorum: nec Chrysostomi, Augustini, Gregorii eos socios indignabuntur, quibus nonnumquam & ipsi usi sunt. Imò non hos solùm, sed & illos interdum, ad Scripturæ sacræ oracula, fideique pronuntiata elucidanda, adhibebimus. Ab utrisque do-

cebimur, sustinenda æquanimiter adversa, acquiescendum Deo in eventis omnibus, Providentiæ divinæ ductum ubique intuendum: sed ex nostris solidiùs lubentiusque discemus, non tantùm accipienda de manu Dei quæcumque accidunt, verùm agendas etiam gratias, confitendumque illi, & cum benefecerit nobis, & cum malè feciſſe videbitur. Vetitum quidem olim Hebræis fuit disparia jumenta ad idem jugum trahere, bovemque & asinum jungere in arando: nec licuit lanæ linum in texendo vestiendoque miscere. At non prohibitum est ratiocinationem humanam divinis Fidei Christianæ documentis adjungere: modò subsequatur, ut famula; aut ad latus incedat, ut officiosa comes; non præcurrat, ut inquieta ancillula; aut ex æquo agere vel dominari appetat, ut insolens socia.

IX. *Laus Dei in adversis.* Refert Baronius ex Niceta anno 861. D. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, religionis causâ de solio & patria depulsum,

sum, in vicinam Byzantio insulam concessisse. Ibi dum ærumnas exilii in cœnobio, inter pia familiarium consortia & colloquia, solatur, Scythæ prædones occupatâ insulâ Monasterium invasêre, & egestis spoliis, patratisque cædibus, nudum atque egenum reliquêre. Occisi familiarium Ignatii duo supra viginti, & barbarâ immanitate, additis supra mortem ludibriis, membratim concisi. Inter tot jacturas, & tam acerba cruentaque spectacula, Ignatius, sublatis in cælum manibus & oculis, nihil conqueri auditus, Jobi solùm verba ex animo ingeminare, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In ejusdem scholæ disciplina adoleverat Elisabetha, Hungariæ Regis Filia, Thuringii Principis uxor: quæ, nuntiatâ morte conjugis meritò dilectissimi, peregrè in Apulia, dum ad bellum sacrum proficisceretur, vivis erepti, tum relato ad se cadavere, ita naturæ dolorem persolvit, & simul Providentiæ divinæ submissionem exhibuit, ut inter lacrymas & suspiria iteraret,

ret, *Gratias tibi, ô Deus, quod corpus carissimi conjugis mihi reddideris. Scis nihil mihi illo in rebus mortalibus fuisse carius: nollem tamen vel unius capilli pretio eum ad vivos revocare, præter tuam voluntatem.* Eodem tempore per mariti fratrem ex ædibus proturbata, in ipso noctis silentio, ad cauponam divertit, donec à Franciscanis nocturnæ preces, quas Matutinas dicimus, inchoarentur. Tunc ex diversorio in templum ingressa, orantes Franciscanos rogavit, ut hymnum Te Deum concinerent, agendis Deo gratiis, quod se non viduam solùm, sed etiam pauperem & extorrem esse voluisset. Ita Raderus narrat Bavariæ Sanctæ tomo I.

X. *Felicitas laudantium.* O verè homines bonæ voluntatis, quibus optima DEI voluntas, etiam cum mala hostium voluntate, adeò placuit, ut damnis laudes, verberibus gratias rependerint! Fælices animæ & DEO dignæ, quarum pacem non inminuerunt calamitates suæ, sanctimoniam aliena vitia auxêre. Meritò illis, DEUM per ærumnarum tenebras laudan-

laudantibus, & noctu extollentibus manus in sancta, accinant Angeli, cives pacificæ Jerusalem, suum illud natalitiæ noctis & Christi infantis canticum, *Interrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecquis Christianorum, res benè æstimantium, suam illis sortem non invideat? Quis non malit cum illis adversâ fortunâ conflictari, DEUM laudando; quàm prosperâ cum aliis frui, DEUM obliviscendo? Quicumque ita non sentiat, necesse est, aut parum sanum, aut non satis seriò esse Christianum.

Opusculi totius idea.

XI. Hoc itaque præcipuè nunc agamus, ut mentes nostras, solidâ Providentiæ divinæ contemplatione, ad quælibet eventa fortiter exspectanda, pacatè toleranda, sanctè ad originem suam referenda assuefaciamus. Eo fine terna primùm Fundamenta de moribus divinæ Providentiæ, in regendo Universo, partibusque ejus singulis, ac nominatim homine, præstruenda erunt. Id prima Parte absolvemus. Pars altera triplex Bonæ Voluntatis Officium complectetur,

plectetur, de excipiendis conformiter divino beneplacito quibuslibet adversis, de futurorum contingentium neutra parte destinatò deligenda, de fiducia inter calamitates in DEO collocanda. Ut facilior sit eorum officiorum cognitio & exercitatio, tertiâ Parte Adjumenta terna proponentur, petita ex modo quo agit Providentia DEI, ex providentiæ humanæ vanitate; ex infælicitate eorum quibus DEI decreta non placent. Pars quarta trigeminum Bonæ Voluntatis Fructum explicabit, DEI in se & apud homines gloriam, hominis apud DEUM meritum, animi denique tranquillitatem in DEI sinu conquiescentis. Ista est dictorum summa & scribendorum. Utinam eorum veritatem experiendo malimus, quàm intelligendo cognoscere: Christianosque nos esse, magis profiteamur rectè vivendo, quàm rectè loquendo, sive inter prospera, sive inter adversa, prout DEO placitum fuerit.

PARS PRIMA

Fundamenta bonæ voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primum fundamentum, Providentiam divinam universo regendo præsidere.

I. *Providentiam Dei negavit nemo.* MIHI jam olim persuasum est, tam impium aut stolidum inter homines extitisse neminem, cui de Providentia Numinis cognitio sensúsve defuerit. Quare cùm aliquos lego, vel audio, eò horrendæ brutæque impietatis venisse, ut DEUM dixerint, motus Universi non curare, spectaréque otiosum, & rebus quas condidit gubernandis absistere: prorsùs existimo isthæc eos ex animi sententia non locutos: sed ita sibi, reluctante quamvis conscientia, persuadere conatos, ut eò liberiùs effrænis cupiditatibus, Numinis metu soluti, indulgerent. Atque adeò ipsos ne nomi-

nominandos quidem fuisse arbitror: ut in rerum natura fuisse nescirentur, qui naturâ sese indignos fecerunt, cùm tam execrandis vocibus illam contaminavêre, & affectavêre, vel simulavêre, ignorantiam manifestissimæ veritatis.

II. *Infideles prædicavêre.* Eo de argumento D. Paullinus Severo scribens epist. 2. *Nox*, inquit, *nocti indicat scientiam. Et vacare jubeor, ut te*, ô Deus, *Dominum esse videam, cùm hanc lucem etiam noctes sciant, hoc est principes vel operarii tenebrarum?* Mens nulla tam obscura est, si modò mens est; conscientia nulla tam tenebrosa, si modò sibimet sui conscia est: cui lux illa divinæ rationis, & intelligentiæ, sese negaverit. In promptu est scire, quod Deus rector omnium est; quandoquidem *in promptu est videre, quod Deus est. Hoc omnis anima videt, ad hoc mens nulla caligat, hoc etiam Infidelium fides recipit.* Placétne Infidelium aliquos testes adducere, aut eorum testimonia recitare? De Græcis selectum unicum, unicum de Romanis eximium recitabo: quorsum enim pluribus testi-

moniis

moniis congerendis bibliothecas compilem? Aristotelem præstantissimi ingenii fuisse ambigit nemo; vitam non integerrimam egisse, affirmant multi; de DEO non rectissimè sensisse, suspicantur quidam. Legitur tamen libro περὶ κόσμου apud Stobæum, appellasse Deum mundi κυβερνήτην, ἡνιόχον, χορυφαῖον, νόμον, ἡγεμόνα: *gubernatorem, aurigatorem, choragū, legem, Imperatorem, qui immotus, citráque ullum laborem regat omnia, & administret.* Ipsam sententiam ex ejus verbis, eodem prorsus sensu expressam, reddo. *Quod in navi est gubernator, auriga in curru, coryphæus in choro, lex in urbe, in exercitu Imperator: id Deus in mundo est. Præterquam quod illis regere laboriosum est, multíque motus ac curarum: huic verò nec dolorem affert nec laborem, corporeæ omnis infirmitatis experti.*

III. *Ejus imagines ex illis.* Quid sublimius & magnificentius de DEO, ejusque Providentia, apud Philosophos Christianos audiamus? Finge tibi mundum navigii instar esse, æstu fluctibusque temporum,

ac

ac ventis mutationum perpetuarum agitari: ad clavum hujus navigii sedet intenta gubernando Providentia Numinis. Mundus quaternis anni tempestatibus, velut totidem rotis, insistens, & perpetuò nunc sursum nunc deorsum circumvolutus, exhibeat imaginem currus Ezechieli objecti: eo curru vehitur majestas DEI, aurigante ejus Providentiâ. Fac mundum esse chorum Musicum, partibus omnibus suis supremi opificis laudes cantantem, jam Lydio mollique sono, tum Dorico ac Martio, modò voce læta ac celere, modò lenta languidáque, & suspiriis singultibúsque intercisa: harmoniæ artifex, choragúsque, & modulorum designator DEUS est. Esto mundus populosa urbs, civium, artium, negotiorum multimodâ varietate distincta: ejus æterna lex DEUS vetat quædam, alia imperat; deinde pro meritis vel castigat, vel muneratur. Dic mundum instar habere numerosissimi exercitus, cùm res omnes creatæ, quamvis inanimæ, eodem jure appellari possint militia mundi, quo astra Jeremias

capite

capite 19. nominavit militiam cæli: eum exercitum armat, exarmátve, & in ordines suos cogit summus Imperator DEUS.

IV. *Et definitiones ex iisdem.*

Philoni adeò placuerunt Aristotelicæ istæ imagines, ut ternas mutuatus suis de DEO scriptis inseruerit, binas libro de Abraham, tertiam libro de Monarchia. Nam ibi Deum nominat, τοῦ κόσμου ἡνιόχον καὶ κυβερνήτην, *Mundi aurigatorem & gubernatorem*: hîc ait, ex mundi motibus ordinatis DEUM rectorem intelligi, quomodò ex civitate benè composita agnosci sapientem magistratum. Sed Infidelium potiùs alterum audiamus Senecam. Quamquam alii Christianum fuisse velint: Christianè equidem loquitur, maximè ubi agit de Providentia Numinis, cui librum totum inscripsit, & sparsim plurima & significantissima operibus aliis intexuit. Aliquot solùm versus ad specimen ex libris Naturalium quæstionum transscribam. Sub primi libri initium inter multa de DEO præclara hæc habet. *Quid est Deus? Mens Universi.*

Vniversi. Quid est Deus? *Quod vides totum & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, quâ nihil majus excogitari potest, si solus est omnia, opus suum intra & extra tenet. Quid ego interest inter naturam Dei & nostram? Nostri melior pars animus est: in illo nulla pars extra animum, totus ratio est.* Audis DEUM dici omniscium, omnitenentem, omnia ratione administrantem, invisibilem in se, visibilem in suis, animam vegetatricem Universi. Ad hæc opinor, verba respexit Plinius lib. 2. cap. 7. luculentissimè de DEO locutus, utinam constantiùs: *Deus ... totus est sensus, totus est visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Forsan & hæc Senecæ de illo meminerat lib. 2. Naturalium quæstionum. *Vis illum fatum vocare? Non errabis: hic enim est ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Providentiam dicere? Rectè dices: est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus.*

vivimus. Vis illum vocare mundum? Non fallêris: ipse est enim totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua.

V. *Animæ humanæ sensus de Providentia.* Quid autem miremur, illos priscæ philosophiæ genios tam magnificè pronuntiasse, quandoquidem, uti Prosper, seu quis alius est scriptor Poëmatis de Providentia, cecinit, *Esse omnes sensêre Deum, nec defuit ulli Auctorem natura docens*, neque auctorem modò, sed & motorem ac rectorem perpetuum? Demonstrare illud non possim efficaciùs ac potentiùs, quàm Tertulliani verbis in Apologetico ad Scapulam: DEUM universo præsidere, *vultis ex ejus operibus tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? Quæ licèt carcere corporis pressa, licèt libidinibus & concupiscentiis evigorata, licèt falsis Diis exancillata, cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat: hoc solo propriè, quia hic unus*

Deus,

Deus, bonus, & magnus. Et, quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Edidit idem scriptor aureum libellum de Testimonio animæ, ubi eam in medium advocat *simplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam ... illam ipsam de compito, de trivio, de textrina totam:* Sciscitatúsque quid de Numine & ejus Providentia sentiat, hæsitantem in responso, ac cunctantem, ducit ad procellosum mare, scaphæque impositam audit inter discrimina de DEO loqui, ejus auxilium implorare, ipsi vota facere. Ita nimirum cuilibet animæ insitus est de DEO sensus Universi gubernatore, tempestatum elementorúmque domino, bonorum ac malorum æquissimo dispensatore.

VI. *Trium mundorum testimonia.* Nec tantùm secreto naturæ impulsu ex hominum quorumlibet ore erumpit illa veritatis confessio: sed etiam ipsorum menti impressa est, ut ex adspectu rerum creatarum, ex

sui

sui cognitione, ex conversionibus fortunarum, DEUM motorem ratiocinando cogantur agnoscere. Tres itaque Providentiæ Divinæ demonstratores & magistros habemus singuli, Mundum majorem, Mundum minorem, Mundum civilem. Mundum majorem vocamus, adspectabile Universum ex plurimis partibus concorditer inter se discordibus compositum. Mundum minorem μικρόκοσμον olim philosophi hominem vocavêre, quia corporis structurâ, animíque conditione, rerum cæterarum quoddam est compendium. Mundum civilem populorum ac nationum fortunam dicimus, per pœnas ac præmia, per prospera & adversa fluctuantem. Quisquis intelligentiæ expers non est, ex ternis hisce argumentis, DEI Potentiam conditricem, Providentiam rectricem, Benignitatem altricem non potest non agnoscere.

VII. *Testimonium ab aspectabili mundo.* Si concentum musicum, lyræve scitè percussæ sonum audieris, modulatorem licèt lyricinémve non intueare, ex cantu nihilomi-

nus intelliges. Si navem inter fluctus ferri videas; passis modò velis, modò contractis; nunc recto cursu, nunc ad vitandos scopulos deflexo; etsi gubernatorem aspicere nequas, regere tamen non dubites. Si civitatem pulchrè ordinatam, aciem in cuneos dispositam spectes, statim conficias, magistratûs & Imperatoris opus esse, licèt operantes non videris. Phidias, aliúsve artifex sculpendi eximius, quamvis absens, ex suis cernitur operibus, inquit Athanasius lib. 1. contra Gentes. Eumdem in modum DEUS, ex se corporeis oculis inaspectabilis, agnoscitur tamen ac cernitur ex partium Universi dispositione pulcherrima, sapientissima agitatione, concentu elegantissimo. Quod de creatore rerum dixit D. Augustinus lib. 11. de Civitate cap. 4. idem de creaturum conservatione dicendum est: *Exceptis propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodò tacitus & factum se esse, & nonnisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabili-*

ter

ter atque inviſibiliter pulchro, fieri ſe potuiſſe proclamat. Inſonat undique auribus noſtris *vox clamantis* mundi: ingeruntur undique oculis radii divinæ lucis. Unde illæ Oratoris Chriſtiani voces, Minutii Fælicis in Octavio: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, támque perſpicuum, cùm oculos in cælum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra citráque luſtraveris: quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis Natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur?*

Deum homo agnoſcit ex ſe.

VIII. Jam ſi homo ab Univerſi contemplatione ad ſemetipſum cogitationes ſuas reflexerit; ſi corpus ſuum, animamque noſſe cœperit; ſi ſe eſſe, vivere, intelligereque intellexerit? Tum verò fieri nequit, ut gradum non faciat ad conditorem ſuum ac moderatorem DEUM. Quo cognito, ſi non ſolùm bonæ intelligentiæ, ſed etiam bonæ voluntatis erit, conditoris ſui ac moderatoris malet eſſe quàm ſuus, & ab illo in omnibus pendêre potius eliget quàm à ſe. Multis certè Infidelibus id contigiſſe reor, quod de ſe Hilarius, li-

bros de Trinitate clausurus, luculentis verbis profitetur, ut ex cognitione sui DEUM agnoscerent, agnitum sequi & amare constituerent. Apud D. Birgittam libro Revelationum 6. cap. 5. de muliere Ethnica narratur: quæ ex solius corpusculi sui structura ita ratiocinata est, ut se dominam sui ipsius non esse conficeret: neque enim, inquiebat, manus illæ tam expeditæ, oculi illi tam capaces ac celeres, illi tam affabrè coagmentati artus à me sunt: si à me non sunt, nec mei sunt, ejus sunt qui fecit: si ejus sunt, qui fecit, ei magis quàm mihi debeo impendere, ei lubenter reddere cùm repetet, ei obsequi, ad ejus arbitrium me meaque componere. Eum ferè in modum Ethnica argumentabatur. Quid autem posteaquam ad veræ religionis diem, ex tenebris superstitionum, DEO sensim manuducente, emersit? Quàm propensa & firma voluntate sese illi totam permisit? Quàm ardente animo Providentiam illius vitæ deinceps omnis ducem amplexa est?

IX. Unic

IX. *Et ex fortunis publicis.* Unici corpusculi humani consideratio tantùm profuit ad veritatis cognitionem: non plus poterunt quotidiana spectacula populorum, inter prospera & adversa mirabili vicissitudine transeuntium, cum indubitata administrantis & judicantis providentiæ testificatione? Vident enim oculati omnes in publicis plurimis eventibus digito DEI scriptum, quod D. Augustinus annotavit lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aulâ Summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum atque retributionum, in ista totius creaturæ amplissimâ quadam immensáque republica.* Orbis totius diluvium, Sodomorum ignes, Ægyptiacas plagas, Nabuchodonosoris emotam mentem, Baltassaris prænuntiatum interitum, aliáque ejusmodi publica supplicia, sacræ literæ Orbi universo promulgavêre. Quia palàm patrata, publicéque testata sunt, etiam Infideles, quibus ea recitari contingit, fidem

adhibent, nec dubitant quin divinitùs, & à Numine, res hominum sciente ac curante, acciderint. Sed non omnibus ista recitantur: neque enim sacrarum literarum voces ubique adhuc auditæ sunt. Non tamen defuêre sua nationibus singulis, vel in imo barbarici sinu abstrusis, propria de Providentiæ divinæ regimine testimonia, per manus à majoribus tradita, vel ex monumentis repetita. Americam toto Oceano à nobis, & ab animorum cultura ad sæculum usque proximè præcedens semotam, habitant populi numero plurimi, linguis distincti, ingenio inculti, moribus efferi. Apud illos in Peruano regno natus Ynca Garcilassus scribit, pro certo passim haberi, narrariqúe, de natione quadam contermina, quæ cùm se criminibus Sodomitarum vulgò tota contaminasset, eodem supplicio absumpta est, tactis de cælo exustisque ad unum omnibus, ut nihil de polluta ac scelerosa stirpe præter memoriam supereresset. Tam spectabili ad omnes exemplo, excitatum in Americanis gentibus, quem natura

tura aperuerat, inquinati mores obfuscârant, Numinis rectoris, judicis, vindicis sensum ac metum.

Elementorum ordo.

X. Transcendamus tantisper obvias illas ingeniis, quamvis hebetibus & obtusis, cogitationes: & philosophicis oculis mundi partes præcipuas, structuramque earum ac cursum intueamur. Terram pondus suum fixit, & centro circumligavit: cætera elementa pro ponderis sui portione ordinem quæque suum obtinent, inter se mirabili consonantia dissona. Terra frigida frigidæ aquæ vicina est: aquam humidam humidus aër contingit: calido aëri ignis calidus superfertur. Contra siccitas terræ humori aquæ opposita est: aquæ frigus aëris calori contrarium: humor aëris siccitati ignis inimicus. Si ex aliorum philosophorum sententia placebit aliter de elementorum numero, ordinéve, aut qualitatibus differere: si corpusculorum, varios in situs figurásque coagmentatorum, tria quatuórve genera in materiæ primæ & elementorum vicem substituere: manebunt

bunt nihilominùs adjuncta dissimilibus similia, mobilia quietis, cita tardis, dura liquidis. Quis tam aptè singula locis suis disposuit? Quis discordibus indixit concordiam? Quis tam ordinatis inimicitiis concinnissimam amicitiam temperavit? Quis legum suarum observantiam hactenùs ab illis exêgit, & deinceps exacturus est, nisi præstantissima aliqua mens, rerum omnium facultates ac fines infatigabili intellectu complexa, quæ ipse Deus est. Audio itaque respondentia undique corpora & elemẽta interrogationibus nostris, idem quod mortalium omnium nomine Psalmista canebat, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos: Ipse regit nos, & non ipsi nos.*

XI. *Firmamenti magnitudo.* Ab elementis transcendamus ad cælum, & omisso Solis planetarumque cæterorum, ut mirabiliter constante & composito, ita & satis cognito cursu, solam stelliferi cæli seu firmamenti magnitudinem, altitudinem, velocitatem ex celeberrimis Astrologis metiamur. Terram, quantacumque est, seu milliarium millia novemdecim leucarúmve

rúmve horariarum millia sex, seu eò plus ambitu complectitur: asserunt astrologi præ firmamento tam exiguam esse, ut si illîc collocetur ne videri quidem possit. Stellarum enim notabilium minimas, quæ magnitudinis sextæ appellantur, terram octodecim partibus excedere: quæ primæ magnitudinis sunt septies supra centies terra majores esse. Numerari autem notabilium stellarum mille ac viginti duas: aliarum milliones septuaginta & unum, ducenta & novem millia, ac sexcentas. Unde confici facillimè potest, *quàm* sit *magna domus Dei, & ingens locus possessionis ejus*: quàm vasta & immensa firmamenti spatia, tot ac tantas moles corporum distinctis locis continentia.

XII. *Altitudo.* Inde etiam consequens est, altitudinem firmamenti meritò Siracidæ mirabilem visam, Eccles. cap. 43. quando tanta corpora hominibus è terra spectantibus tantilla appareant. Colligit cum Alphragano Clavius extimam cæli astriferi superficiem hinc distare, milliarium Italicorum millionibus centum sexa-

ginta & uno, octingentis octoginta quatuor millibus, nongentis quinquaginta tribus: id est millionibus circiter horariarum leucarum tribus supra quinquaginta. Itaque si illinc molaris devolveretur, etsi millia passuum ducenta in horas singulas impulsu naturali conficeret, ante nonagesimum tamen annum terram non attingeret. Ut vel ob hanc caussam accommodatissimè Deus in Sacris literis vocetur *Altissimus*, & Christus dicatur *Filius Altissimi*, & ab Angelis *Gloria Deo in excelsis* cantata sit, & Isaias viderit *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.*

XIII. *Celeritas.* De velocitate autem immensæ illius machinæ vix sine vertigine cogitari seriò queat. Stellas lineæ æquinoctialis, scribit Clavius in Sphæræ caput nonum, emetiri hora una milliarium milliones quadraginta duos, trecenta octoginta quatuor millia, quadringenta triginta septem: id est, ut rectè colligit Richeomus, horariarum leucarum milliones circiter quatuordecim. Quantum scilicet eques vix millibus annorum tribus

confi-

conficiat: quantâ velocitate non feratur glans ferrea, tormento murali impulsa, si septies terram circumvolet, dum semel Salutatio Angelica percurritur. Quod celeritatis in tam vasto corpore miraculum intellectus humanus, quàm velocissima conceptione, sequi non potest. Atque adeo quidam eo miraculo absterriti, alium cælorum situm motumque deseribere moliti sunt; nec tamen, utcumque cogitârint, incogitabilem prorsùs pernicitatem orbium illorum evasêre. Itaque à Vate Regio verissimè dictum Psalmo 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, sermone muto illo quidem, sed aperto ac velociter currente quotidianæ revolubilitatis. Et postquam Deum auctorem, motorem, gubernatorem mortalibus prædicavêre, docent illos exemplo suo debitam Supremi Numinis voluntati observantiam. Stellæ enim in custodiis suis dicunt, cum Propheta Baruc, *adsumus*, & lucent ei qui fecit illas. Non sibi lucent, sed Deo: nec, si velle possint, aliud velint quàm Deus. Obscuritatem, lumen,

motum, molem ſuam amant, quia voluit Deus. Cuſtodiis quæque ſuis & ſtationibus fixæ ſunt, quia vult Deus. Trepidabunt, ſi trepidationis motus in cœlo eſt; in oppoſitum impulſui ſuo rapientur, extinguentur, corrumpentur, corruent, ſi volet Deus. Utinam Chriſtiani, quorum converſatio in cælis eſſe debet, diſcant loqui linguâ cælorum, & facere verbum Domini, nec præterire præceptum quod poſuit.

XIV. *Hominis contemplatio.* Difficilis fortaſſis quibuſdam ea lingua videatur: familiariorem itaque audiamus, & domeſticam humani corporis. Sexcentos in illo muſculos medici deprehendêre, eorumque officia ſexies mille. Oſſa trecenta annumeravêre, alia aliis inſerta & infibulata: ſingulorumque officia quadraginta, id eſt univerſorum millia duodecim. Oſſeam compagem ſpecta, quod σκέλος dicimus, & cum medicorum principe eloquentiſſimum artificis ſui panegyricum fatebere. Adde illi arborem venarum ex hepate naſcentium, arteriarum è corde,

nervo-

nervorum è cerebro. Dein partes singulas scrutare, oculi fabricam, manuum structuram, cæterorum membrorum dispositionem, elementa quatuor in totidem humores corporis contracta, cæli situm & lumina in capite humano velut compendio exhibita, quaternas anni tempestates totidem hominis ætatibus expressas. Animæ facultates, & situm corporis, inter se compara, cum Philone libro 2. Allegoriarum legis. Vide rationem in summo capite sedentem, Regis instar, stipatamque sensuum satellitio. Irascibilem animalis facultatem in pectore clausam, septamque ossibus circùm, velut loricâ: Concupiscibilem in infima regione, instar pedissequæ positam. Adverte quàm admiranda celeritate voluntati tuæ oculi, palpebræ, lingua, manus obsequantur: ut arcana illa & stupenda luminum internorum, ex defæcatissimo sanguine emicãtium, quos spiritus animales dicimus, in imaginando, reminiscendo, intelligentiæ subserviendo, obsequia taceam. Disce, quantam anima tua auctori suo obedien-

tiam debeat, cùm imperanti animæ eum in modum corpus obtemperet.

XV. *Harmonica Dei gubernatio.* Postquam te contemplatus fueris, ad integras nationes, & universum hominum genus, oculos circũfer. Linguæ diversissimæ, innumeris vocibus constantes, partim inter se similibus, partim dissimilibus, iisdem tamen ubique literis, non tibi manifestè Deum nationes dividentem designabunt, etsi Babylonicam confusionis turrim in sacra Scriptura non legeris? Perspice interiùs varia ingenia & mores nationum: attende ubique paupertatem divitiis oppositam, vitia virtuti, sapientiam stultitiæ, vires infirmitati, prospera adversis, nascentémque ex ea compugnantia, velut ex contrariis vocibus, suavem harmoniam, proprium Dei opus. Considera subitas conversiones rerumpublicarum, mirificas fortunarum vicissitudines, regnorum subitos ortus de nihilo, & præcipites occasus in nihilum. Dubitare non poteris, quin isthæc omnia à suprema mente dispensentur, ac regantur, licèt manum

regentis

regentis non videas. Quamadmodum enim in mundo visibili,& in corpore humano, aptissima illa similium, ac dissimilium compositio Deum auctorem ac rectorem pronuntiat: ita & in civilis mundi partibus populorum, ingeniorum, fortunarum, parium dispariumque, jucunda mistura. Ut æquè de mundorum trium harmonica modulatione dici possit, quod apud D. Augustinum legitur tomo 4. in carmine alterius scriptoris de mundi pulchritudine: *Rapidum tardo, & rata currens hac & hac vaganti: Statísque moventia, densis rara, magna parvis: Obscuris flammifera, nigra luminosis: Intercidentia natis, nata nascituris: Medium extremis, medio illa, & ima summis, Concordant lege superna, lege dicto veri: Vnum carnem modulantur, concinúntque in unum.*

XVI. *Ambulandum coram Deo.* Stabilissimum hoc Providentiæ Divinæ fundamentum meliùs claudere non possumus, quàm D. Anselmi verbis Prosologii capite 4. *Gratias tibi, bone Domine, quia quod credidi te donante, sic intelligo te illuminante: ut si te esse*

esse nolim credere, non possim non intelligere. Et si te meæ mundíque omnis gubernationi perpetuò intendere, religio divina non persuaserit, ratiocinatio tamen humana evicerit. Anachoreta Ludovicum Blosium, Lætiensis Cœnobii Præsulem, de præceptis Christianæ vitæ adire per intervalla solitus, hæc aliquando accepit Dei ad Abrahamum verba, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ad tuguriolum reversus, expendere primùm illa summatim, deinde pervaria excitandæ voluntati diducere: nunc intelligentias Deo servientes contemplari; nunc cœlos, ac stellas coram Deo, id est ejus jussu, ambulantes; nunc elementa ac meteora ipsius imperiis obsequentia; jam mista omnia, jam corpus suum, jam gentium nomina & fata ex unius Domini nutu suspensa. Inter tot exempla undique oculis ingesta, valdè indecorum & iniquum fore, si ipse non ambulet coram Deo, & ad nutum illius agat quævis ac patiatur. Eum ferè in modum secum ipse ratiocinando dies totos exigebat, sui vix memor:

donec

donec Blosius longè diutiùs solitò abesse miratus, ultrò adivit, sciscitatúsque est, quid sibi vellet tam diuturna absentia. At ille: quod enim, inquit, ex te documentum altius, fæcundiúsque, & magis inexhaustum accipiam, quàm ut cum rebus omnibus creatis ambulem coram Deo, in ejus voluntate defixus, & ad ejus manum atque impulsum semper intentus?

SECTIO SECUNDA.
Alterum fundamentum:

A Providentia Divina res etiam minimas, & fortuitas, curari.

I. *Res nulla Deo indigna.* INdignè de DEO sensêre Infideles illi apud Minutium Fælicem in Octavio, qui extorquente veritatis testimonium naturâ, Providentiam Divinam universo præsidere fassi, indignam ejus solicitudine rerum minutarum solicitudinem existimabant. Sed si indecora Deo non fuit vel minimorum creatio, cura etiam de minimis

mis illum non dedecuit. Si tam vile & exiguum animalculum plantuláve non est, in cujus dissectione ac partibus potentia & sapientia creatoris non sit admirationi: neque ullum est, in cujus conservatione benignitas & cura non eluceścat. Ejusdem enim mentis est, producere quæ antè non fuerunt, & productis consulere. Et quomodò nihil tam contemptum est, ut alium totius sui auctorem habere, quàm Deum, potuerit: ita nec tam abjectum est, ut illum conservatorem, dispensatorémve habere non mereatur. Ad curam singulorum Deum trahit Bonitas sua, & rerum Pulchritudo.

II. *Quantumvis exigua & vilis.*

Ille scilicet *nobis Deus est*, ut Seneca loquitur libro 4. de Beneficiis, *non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique vagantibus pabulum præstat, qui pascua hibernis æstiva substituit.* Ille Deus est, *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum:* Psalmo 146. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*; Sapient. 6. Sine illo

unus

unus passerum, dupondio væneuntium, *non cadit super terram,* ut Christus magni consilii Angelus asserit, Matth. 10. *Possum dicere, porcorum quoque setas numeratas apud Deum fuisse,* cùm absque Christi permissu tota dæmonum legio in illos ausa non est invadere: *nedum capillos sanctorum.* Ita loquitur Tertullianus libro de fuga in persecutione, ut intelligamus, Dei consilia & curas quaquaversum ad omnia protendi.

III. *Nihil Deo improvisum.* Inde consequitur necessaria bonæ voluntati formandæ veritas: fortuitum Providentiæ Divinæ nihil esse, casuale aut contingens nihil, sed provisa & præmeditata omnia, causásque eorum ac fines. Hinc fortasse Augustinum pœnituit, fortunæ nomen aliquando usurpasse. Christiano enim, imò rationali, fortuna nulla: omnia de cœlo ab æterna mente destinantur. Improvisa quidem multa nobis, hebetis visûs animalibus, neque in futurum, nisi per incertas conjecturarum umbras prospicere valentibus, eveniunt. Eadem tamen prævisa & ante dispo-

disposita dici debent, si Deum attendamus. Prudens Imperator, occupando hostili præsidio, copias ex hibernis deducit. Aliæ alio itinere progredi jubentur, consilii prorsùs insciæ, nec de aliarum profectione commonefactæ. Conveniunt tamen omnes in locum eumdem tempore eodem. Fortè id fieri à militibus dicatur, cùm inter se non condixerint: fortè tamen non fit, quod ex præmeditato Imperatoris consilio profectum est. Herus famulos duos, alterum alterius ignarum, mittit ad varia negotia, ob quæ inter se debent occurrere. Occursus iste famulis quidem fortuitus videatur: at non hero, qui sic profectiones illorum disposuit, ut ita eveniret. Eumdem ferè in modum se res habet, in iis, quos casus, eventúsque, ac fortuitas caussarum hominúmve conjunctiones & concursus vocamus.

IV. *E sacris literis ostenditur.* Genesis cap. 15. Eliezer ab Abrahamo mittitur in Mesopotamiam Syriæ. Rebecca, quæ de illo ne per somnium quidem audierat, in ipso tempore venit ad fontem: placet:

Isaaco

Isaaco sponsa petitur. Quis ista fortuitò agi non existimet, si humana spectes? At Deus inexpectatos illos occursus ad fines suos suaviter moderabatur. Ita improvisa fuit Jacobi & Rachelis obviatio ad puteum: destinata tamen divino consilio. Josepho in cisternam veterem abdito, fortè transierunt Madianitæ mercatores: quod fortè ab illis fiebat, à DEO ad miros eventus disponebatur. Mosen in fiscella fluitantem aliud agens filia Pharaonis vidit, amavit, educavit: sed hoc ipsum agebat DEVS per insciam Principem. Incidit Moses commodè, cùm Madianitides virgines adversus pastores defendendæ erant: ita DEUS isthæc contemperârat, ut per istam occasionem sanctus vir socerum sanctum nancisceretur. Mittitur à patre Saül ad quærendas asinas, & regnum reperit. Pugnante Achabo, 4. Reg. 22. & 2. Paral. 18. *accidit, ut unus è populo sagittam in incertum jaceret*: sed eam ad scopum suum dirigebat Dei Providentia. Non casu Danielis sapientia Regibus Babylonicis innotuit:

non

non casu Hestheris pulcritudo Assuëro placuit: non casu facies Nehemiæ Artaxerxi subtristis visa est: non casu hirundines nidulabantur, ubi obdormiit Tobias: non casu junior Tobias pedes lavit in Tigri, & piscem exhorruit: non casu Jonam ventus & cetus excepêre.

V. *Ex historiis Ecclesiasticis.* Fortè Ravennam venerat Vitalis miles, cum Paullino judice. Ibi comprehensum Christiana religionis caussa Ursicinum medicum, inter tormenta paullulùm vacillantem conspicatus: Tu verò, inquit, medice Ursicine, qui alios curas, cave temet eneces. Exceptæ ab adstantibus voces Christianum prodidêre, & Martyri comitem addidêre. Fortè id factum dicimus: factum tamen ex alto divinę mentis consilio, Martyrem sibi tam fortuita occasione præparantis. Captivi quidam in carceres eosdem, quos Apostoli, detruduntur, aliis omninò de caussis: illi ob crimina, isti ob virtutem. Quid magis improvisum hominibus? Quid magis Deo provisum, qui sic libertati filiorum suorum, per Apostolorum

lorum verba & sacri Fontis lavacrum, captivos præparabat? In Onesimo idspectari vult Paullus: in Processo & Martiniano Petrus idem fecit. Quotidianum fuisse Martyribus testatur Tertullianus: *Domus*, inquit, *diaboli est carcer, ubi familiam suam continet: sed vos idcircò in carcerem pervenistis, ut eum in domo sua conculcetis.*

VI. *D. Augustini narratio ea de re.* Augustinus libro 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 43. narrat: Maximinianum, Catholicum Episcopum Bagajæ in Africa, à Circumcellionibus hæreticis læsum letaliter in inguine. Cùm inde sanguis totus efflueret, traheretúrque membris ex ea parte nudis, *pulvis exundantes venas latenter obstruxit. Deinde præceps de excelsa turri datus noctu, subter cinerem stercoris molliter jacebat. Venit illuc pauper, exonerandi ventris caussa: vidit hominem, domum tulit, postea curatus est. Vivit: plures in ejus corpore cicatrices, quàm membra, numerantur.* Non vereor, ne minuta nimis & vilia referre videar, quæ D. Augustino

visa

visa sunt relatu non indigna: ut ex unius hominis casu intelligamus nîl casu fieri. Neque enim casu factum, ut pulvis venis vulnerati, ad sistendum sanguinem, velut medicamentum extemporaneum, admoveretur. Non casu factum, ut sterquilinio præcipitatus incideret. Nec casus fuit, quod in illum jacentem pauper ex vicino incurreret. Naturalium causarum occursus fortuitos sic DEVS disposuit, ut vita Confessori suo servaretur.

VII. *Alia ejusdem.* De seipso idem Augustinus Enchiridii ad Laurentium cap. 17. *Sunt quædam quæ nescire, quàm scire, sit melius. Itemque nonnullis errare profuit: sed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, & non iremus per eum locum, ubi operiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, ut eò, quò tendebamus, per devium circuitum veniremus: cognitísque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo.* Sapiens & sanctus vir errorem ipsum suum, ex mera impru-

imprudentia ortum, providentiæ tamen divinæ, quælibet ad fines suos ordinanti, tribuit. Adeò certum est, nîl evenire fortuitum. Videri potest idem Doctor in libris de Ordine: ubi soricis strepitum, quo ipse domesticique discipuli excitati fuêre, & murmur torrentis inter folia labentis & interstrepentis, unde occasionem disputandi arripuerunt, casu accidisse non existimat.

VIII. *Quotidiana in nobis experientia.* Quàm multa nobis quotidie incurrunt ejusmodi, quorum rationes nunc non videmus: postmodùm agnituri, quando ex editâ æternitatis specula retrò lapsorum annorum mutationes remetiemur? Tunc manifestè apparebit: nec casum fuisse, quod ibi nati; nec fortuitum, quòd sic educati; neque inconsultum, quòd ad ea studia, artésve admoti; nec sine numine, quòd illa consortia consuetudinesque ingressi. Deus in omnibus causas suas habuit, easque optimas: etsi cæcis mortalibus ista cæco impetu ferri videantur. Celebre est istud Apellis apud Plinium

libro 35. cap. 10. Equum pinxerat currentem, & anhelum: de spuma ad verum effingenda laborabat. Post multos conatus, sæpiusque appositos & inductos colores, cùm oculis suis ac judicio non satisfaceret, manui suæ & arti iratus, penicillum tabulæ impegit. Excussi colores spumam pulcerrimè expresserunt: fecitque casus quod ars nequiverat. Exclamet hîc Latinus poëta, *O quantum est subitis casibus ingenium!* At nos, qui Dei oculos & manus ubique scimus intueri & operari, etiam in eo jactu, & colorum dissilientium inexspectata compositione, dicemus, non casûs esse ingenium, sed Dei, cui fortuitum nihil est.

IX. *Etiam minima ad Deum referenda.* Et hinc in antecessum inferamus, quod postea fusiùs discendum erit, in eventis quibusvis rerum humanarum, etiam minimis, assuescendum, oculos ad Providentiæ divinæ ductum & orationes attollere. Documentum id est Epicteti cap. 1. *Ne postules ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri, sed, si sapis, ita quæcumque velis fieri, fiunt*

fiunt. Pluit? Pluere velis. Urit æstas? æstum velis. Incommoda sunt tempora? Incommoda velis. Neque ideo tantùm velis, quia stulti sit aliud optare, quàm quod fieri potest: fieri autem non potest, ut quod est non sit. Sed ideò velis, quia quæcumque eveniunt, non nisi ex voluntate Dei eveniunt. Stoïcorum prima doctrina erat de Fato: inde ipsis inter eventa omnia constans & tranquillus animus: neque ipsorum intererat, destinatóne hominum consilio, an fortuitò acciderent. Non consilia rerum, aut imprudentiam attendebant: sed fatum, à quo omnia definiebant proficisci. Fatum autem quidam interpretantur rerum necessitatem: eamque necessitatem nonnulli forsan Stoïci ita sumpsêre, ut ne divinæ quidem, nedum humanæ libertati, locus esset. Verùm clarissimus Philosophorum Stoïcorum Seneca nobis modò, sectione proximè præcedente, edisseruit, fatum nîl aliud esse, quàm Dei Providentiam, res omnes altissima ratione ordinantem ac ducentem: idémque

toto de Providentia libro apertè exsequitur. En igitur nobilissimorum Stoïcorum ἀπάθειαν, constantiamque invictam, inter quotidianas rerum mutationes: ex eo quod in illis Dei ductum perpetuò attendere consuêssent.

X. *Christianorum ea de re doctrina.* Mavis à Christianis id documentum haurire? Adi Dorotheum, insignem ascetices magistrum, integram tibi eâ de re concionem inculcabit, Doctrinâ septimâ, quæ tota est *de omnibus contingentibus ad Deum referendis.* Invenies illîc, de sene quodam ægro consueto ad Deum cuncta referre; qui, cùm ministri errore oleum pro pulmento infusum esset, gustatumque absque ullo animi aut vultus motu sepositisset, ministro errorem denique advertenti & excusanti, nîl quidquam dixit, nisi, Fili sic Deus voluit. Genesis cap. 27. Isaacus ævo gravis, & oculis præ senio captus, Jacobum percunctatus, unde ipsi tam citò præda, cùm hic respondisset, Dei voluntatem fuisse, ut citò occurreret, quod volebat: *Vox*, inquit, *vox Iacob est;*

sed

sed manus, manus sunt Esaii. Vocem Jacobi agnoscit, non tantùm quia lenior exibat, quàm ex ore asperi & agrestis venatoris: sed quia sonabat voluntatem Dei, cujus mentioni Jacob assueverat ad quotidiana eventa. Didicerat à Rebecca matre, cui casus non fuit, ad puteum occurrisse Eliezeri. Didicerat à Melchisedecho Rege Salem seu Pacis, quando in ejus disciplinam à parentibus datus vir simplex, & unum in omnibus Deum quærere assuescens, habitabat in tabernaculis.

XI. *Quanta inde tranquillitas.* Nec verò quidquam est potentius ad subitos animi motus componendos, pacemque animi inter foruita incurrētia servandam, quàm ea non ut fortuita accipere, sed ut à Deo destinata, qualiacumque sint. Mirati sunt parentes nostri compositissimum Philippi Secundi Hispaniarum Regis animum, & ne subitis quidem, atque improvisis tangi facilem. Ad majora ventura meditationibus comparamur, ideóque venientibus minùs percellimur: mi-

nora plerumque, quia præmeditati non ſumus, patientiam ſubito motu excutiunt. At Rex ille majoribus inconcuſſus, claſſium jacturam, provinciarum rebellionem, filiorum mores, & mortes, imperturbato vultu audire ſolitus, eamdem ad minuta contingentia, ut familiarium intimi notavêre, ac narravâre, tranquillitatem attulit. Manu ſua literas ad Pontificem Maximum exarârat: iis ſiccandis petitâ ab ephebo thecâ arenariâ, atramentariam accepit, & chartæ infudit. Ad hoc pallenti ac trementi ephebo, nîl quidquam, niſi, Fili profer aliud chartæ folium. Eidem ocrearum unam induenti, calcar, quod imprudens famulus in imo reliquerat, plantæ pedis incuſſum eſt. Vix ſe quantumvis compoſitæ mentis homo tenuiſſet, quin iraſceretur. Rex ita ſe compeſcuit, ut citra vel minimum indignationis ſignum, id ſolum dixerit, Eximatur quod in ocreis latet.

XII. *Cauſſa tranquillitatis.* Qui ad eam animi pacem adſpirat, ſeſe aſſuefaciat intuendæ in obviis quibuſcumque caſibus

Provi-

Providentiæ Divinæ, & cum Sapiente cap. 14. identidem iteret, *Tua, Pater, providentia gubernat*, universa & singula, magna & minuta, necessaria & fortuita. Cùm autem Deus omnia regat, benè regere necesse est, & benè regenti acquiescere oportet. Esto, quem tibi finxeras rerum tuarum alienarúmve ordinem, subitis incursibus interturbetur: manet tamen, ac fluit imperturbatè, longè illo melior & optabilior ordo à suprema mente stabilitus. Ad illum ubique adspiciendum nos vocabat D. Thomas opusculo 62. *Mos Dei est, quod omnia opera sua in summo benè fecit. Opera quippe cæli & terræ, Angelorum & hominum, & aliarum creaturarum, adeò benè fecit, ut meliùs excogitari non possit.* Deinde ad minutiora descendens: *Sive sit*, inquit, *ventus, sive pluvia; sive aura calida, sive frigida; sive sicca sit via, sive madida; sive fructus terræ abundet, sive pereat; pro illo tempore fieri meliùs non potest.* Breviùs cuncta Augustinus complectitur libro 3. de libero arbitrio cap. 36. *Deus id*

judicavit esse pulcerrimum, ut esset quidquid est, sicuti est. Quamvis enim in se pulcerrimum non foret neque optimum: Deus tamen fecit pulcerrimum, ita judicando; & optimum, ita volendo.

SECTIO TERTIA.

Fundamentum bonæ voluntatis tertium ac præcipuum:

Cura Dei de homine, præsertim bono.

I. *Deus est Dominus hominem singulariter.*

REgius Vates Psalmi octavi, qui totus est de peculiari Dei erga hominem cura, initium & finem fecit eodem versu, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.* In eo versu simul posuit & propositionem & conclusionem cantandorum. Quid paras de Deo dicere? Dicam esse dominum nostrum. At quid in ea re novi? Nonne dominus universorum est? Prorsus. Ita tamen, ut singulariter sit hominum dominus. Ad experientiam te appello, & ipsam fidem tuam, si mihi fidem

dem non habes. Contemplare Universum, expende terram, scrutare maria, vide pisces natantes, circumspice aves volantes, intuere animalia pascentia, specta stellas lucentes, metire cælorum ingentia spatia. Isthæc omnia cùm Dominus produxerit, dominus illorum est. Sed quandoquidem homini produxerit, nonne meritò etiam infantes & lactentes clament: *Domine, dominus noster* es, qui nos, & genus omne humanum, proprio quodam affectu curas, & solicitudine singulari complecteris? Notavi aliquando, nec dubium quin & alii ante me, nusquam in primo Geneseos capite, ubi de rerum creatione agitur, poni nomen tetragrammaton, quod latina versio reddere *Dominum* solet, Græca κύριον, exprimiturque Hebraicè per vocem *Adonai*, istis respondentem. At verò in altero capite, ubi particulatim enarratur hominis creatio, rerumque aliarum subjectio ad ejus obsequia, passim nomen istud ineffabile occurrit; iteraturque frequentissimè appellatio *Domini Dei*. Ad

commendandam utique Dei erga homines benevolentiam, qui ipsorum peculiariter *Dominus* esse velit, singularemque illis curam & amorem impendere.

II. *Major cura qualiter sit in Deo.*

Cùm autem dicitur, homines Deo magis esse cordi, quàm corporearum rerum cæteras: nemo tam ignarus sit divinorum, ut sibi persuaserit, Deum de re aliqua magis intentè aut frequentiùs cogitare quàm de alia, sensúsve de illa habere teneriores, aut vehementiores. Humanæ imbecillitatis & mutabilitatis officia ista sunt. Quia Josephum Jacob præ cæteris filiis habebat in amoribus: idcircò erga illum teneriùs afficiebatur, & sæpiùs eum versabat in mente. Salomoni, quia liberorum carissimo, voluntatem & studia magis impendebat David, quàm Adoniæ, vel Nathani. Christum ipsum, quà hominem, plus de optima matre & dilecto Joanne, quàm de aliis, cogitare, æquum fuit, & naturæ consentaneum. Sed absit, ut Christianus ullus, vel tenuiter eruditus, tam crassam rudémve de Deo ef-

fingat

fingat imaginem; qui omnia intellectione una cogitat, quia totus est intellectus; & omnia volitione una amat, quia totus est voluntas; & totus est intellectio, ac volitio, quia totus est actus. Deum ergo aliquid curare præ aliis, est, plures, ad conservationem ac perfectionem illius, effectus solicitudinis & amoris extra se producere, ac demonstrare.

III. *Declaratur.* Explicando huic argumento, Theologi quidam duplicem Dei Providentiam posuêre, Naturalem, & Moralem. Naturalem vocant, qua Deus res creatas curat, morum incapaces: moribus autem regi non possunt, quæ carent ratione, discernendis ac dijucandis moribus necessariâ. Moralem autem appellant, qua Deus utitur ad gubernandos Angelos & homines, qui soli intelligentia præditi sunt, & moribus reguntur. Verùm eâ distinctione omissa, D. Thomam audiamus prima parte, quæstione 22. articulo 2. Postquam hoc generatim posuit: *Omnia subsunt divinæ Providentiæ; sed diversimodè.* Particula-

tim deinde subjicit: *Bruta subduntur providentiæ divinæ per se, & in singulari, sed propter aliud:* propter hominem scilicet, cui serviunt. *Boni subduntur providentiæ divinæ propter se: mali verò propter bonos tantùm, ut bruta.* Unde id conficitur, quod modò ex Davide discebamus, præcipuam Dei inter aspectabilia sua opera curam esse de homine. Magis enim curatur finis agendorum, quàm quæ ad eum finem ducunt, & media vocantur. Tantâ diligentiâ ac vigilantiâ custodit ac servat Jacob Labani greges, ut numquam illi ostendat captum à bestiâ: at longè magis Racheli intendit, cujus caussâ pastor ovium est. Ita, cùm Deus bruta propter homines curet, plus multò solicitudinis in hos dicendus est, quàm in illa impendere. Ex eadem ratiocinatione consequitur, potissimam Dei inter homines curam esse de probis: quandoquidem improbi ad proborum utilitatem ac profectum à Deo ordinentur, velut media ad finem.

IV. Neque

IV. *Singulos homines Deus curat.*

Neque universo tantùm humano generi Deus præcipuè attendere credendus est, sed etiam singulis paterna solicitudine consulere. Nam si conservatione ac salute generis contentus singulos negligeret, id faceret, quia illis providere vel nequiret, vel nollet. Potest autem, & vult. Potest, quia Deus est: vult, quia creator est. Adeóque *Domini est oculus hominis*, ut loquitur Zacharias cap. 9. Id est, ut ego quidem interpretor, hominem quemlibet, quantumvis abjectum ac despicabilem, singulari summum Numen providentia respicit. Itaque verissimè dixit Augustinus lib. Conf. 3. cap. 11. *Sic curas, ô Deus, unumquemque nostrum, ac si solum cures; & sic omnes, tamquam singulos.* Eodemque sensu Gregorius Moralium lib. 25. cap. 19. *Sic Deus intendit singulis, ac si vacet à cunctis: & sic omnibus intendit; ac si vacet à singulis.* Hoc ipso quo scribimus, legimúsve, aut dicimus momento, cælorum machinam rotat, Soli lumen sufficit, diemque terris administrat, elementorum naturam sustentata

ſtentat, me inter iſthæc, mihi creata ac conſervata, non negligit, corpori vires impertitur, cogitationi vim tribuit, manum ſcribentis ducit, linguam dicentis movet, aliáque mecum agit omnia, non ſecùs ac cum Adamo aut Noëmo, ſub creati aut renovati mundi initia, quando univerſum genus humanum erant homines duo aut octo.

V. *Citra laborem.* Abſit enim, ut vim potentiamque divinæ mentis infinitam ex infirmitate humani ingenii, vix paucis curis pari, metiamur. *Pluribus* enim *intentus minor eſt ad ſingula ſenſus* hominis, quantumvis intelligentis & exercitati. Idcircò Siracides ſapientiæ ſtudioſum monuit, *Fili ne in multis ſint actus tui*, Eccl. 11. Et Jethro Exodi cap. 18. Moſi genero ſuo, nimium ſatagenti, perſuadere volens, ut laboris ſocios aſſumeret, curásque partiretur, dixit Sapienter, *Stulto labore conſumeris.* Nam oneri tam multiplici impares ſunt unius ingenii vires. Imò ut ingenium ſufficiat, delaſſatur tamen homo & exhauritur, etiam in admenſis

mensis sibi laboribus: quia corpus quod corrũpitur aggravat animam, & paullatim ipsa sese agendi vivacitas exedit, & ardendo lucendóque velut cerei decrescit atque consumitur. Aliter longè res habet in Providentiæ divinæ curis. Neque enim multitudine distrahitur ac distenditur, nec longitudine aut difficultate fatigatur. Quemadmodùm creando labor nullus adhibitus est, vox unica ac voluntas suffecit: ita & conservando velle ac dicere sufficiet. Et quamvis Deus Angelorum hominúmque ministerio, ad generis humani gubernationem, utatur, vicariósque habere, & eis obediri velit, ad rerum ordinem decentiorem: vicarii tamen nullius operâ indiget, & per se nihilominus administrationem singulorum attingit.

VI. *Hominis nobilitas.* Audiendus iterum Augustinus in Psalm. 148. *Fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & te. Parum dico te, passerem, locustam, vermiculum. Nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus. Noli ergo dicere, non pertineo ad Deum: pertinet ad Deum*

Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum, quia Deus fecit animam tuam & corpus tuum. Non curaret Deus hominem quemlibet, cui etiam vermiculus curæ est, quia ab ipso creatus est? Atqui nobilissima creatura est homo, etiamsi corpus solum attendas, cujus suprà descriptionem attigimus. Quid si animum contemplêre, materiæ expertem, mortis nescium, compotem sui, capacem Dei? *Deus* enim, ut loquitur Lactantius lib. de Ira Dei cap. 4. *Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se tamquam divini templi antistem, spectatorem operum rerúmque cælestium.* Quare Vates Regius Psalmo 8. postquam petiit: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum?* Respondet ipse interrogationi suæ, & ejus dignationis rationem affert: *Minuisti eum paullò minùs ab Angelis.* Non reputes, ô Deus, filium hominis, quem tu ad id honoris extulisti, ut suppar incedat altis illis intelligentiis, quæ inaccessæ tuæ lucis purissima sunt specula?

VII. Eam-

VII. *A Deo amatur.* Eamdem ob cauſſam Philoſopho cuipiam priſco, Platoni ni fallor, iſtam hominis dignitatem creatorisque dignationem æſtimanti, *Deus οὐ φίλορνις οὐ φιλόθηρ, ἀλλὰ φιλάνθρωπος, non avium, ferarúmve, ſed hominum amator eſt.* Non quia non amet animalia cætera: ſed quia inter omnia divinum iſtud animal præcipuè habet in oculis & in delitiis. Quam etiam Dei humanitatem eodem ipſo φιλανθρωπίας nomine commendat Paullus ad Titum cap. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Ubi, quod Latinè eſt humanitas, Græcè eſt φιλανθρωπία. Nec mirum, tam humani erga hominem quemlibet affectus Deum eſſe, cùm talem talis condiderit, non indecorum partum optimus parens: qui quem tam amanter produxit, non conſervare non poterit convenienter naturæ ſuæ, ſi conſervari ſe ſinet.

VIII. *Paternus Dei affectus.* Deum ipſum audiamus de ſe & de homine loquentem, tanto affectu, tam ſuavibus verbis, ut exprimi nihil poſſit ſignificantius. Quod

nomen

nomen dulcius, quàm patris? An maternum? Ille fortiùs diligit, mater teneriùs. Patrem se & matrem fore Deus pollicetur, ut & fortiter amet, & tenerè: idque de populo promittit inquieto, infideli, rebelli; sæpissimè monito, sæpissimè obstinato, & adhuc, cùm Deus ipsi loqueretur, idololatriam sectante. *Si filius mihi honorabilis Ephraim,* inquit Jeremiæ 31. *si puer delicatus:* seu, ut alia versio sonat, *An non filius pretiosus Ephraim, an non puer solatiorũ?* Ecquisnam autem ille est Ephraïm, ut Deus ipso filio gaudere, & gloriari, imò quodammodò sese jactare videatur? Ephraïtica tribus est, Israëlitici regni caput, & nomen, populus contumax, proles optimo parenti Deo immorigera, meritáque abdicari. Ne tamen dubites, quin qualiscumque tamdem filius Deo sit *honorabilis, & pretiosus, & delicatus, & solatiorum,* subjicit: *Idcirco ex quo locutus sum, commota sunt viscera mea super eum.* Non tibi videtur Jacob de Josepho suo loqui, aut de filio dexteræ Benjamino, quem ne nominari quidem audiat absque sensu teneri-

teneritudinis? Non eæ sunt voces parentis amantissimi, commoda juxta & incommoda liberorum ita excipientis, ut propria? Quid exprimendæ paternæ Dei in homines dilectioni significantius dici poterat, quàm illa viscerum commotio, & agitatio cordis amore vehementi palpitantis?

IX. *Materna ejusdem dilectio.* Simili locutione usus Isaiæ 49. in exemplo matris, quæ liberos, præsertim immaturæ ætatis, & ex utero nuper profusos, dulciùs amare solet, quàm pater. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non oblivisear tui.* Vides materno affectui suum à Deo non conferri solùm, sed etiam præferri, & meritò. Nam mater filium in utero gestat menses novem, Deus hominem toto vitæ tempore: *In ipso* enim *vivimus, movemur, & sumus*, velut intra materna viscera: *Audite*, inquit Isaiæ cap. 46. *domus Iacob, & omne residuum domûs Israël, qui portamini à meo utero.* Filium in lucem editum mater aliquando dat lactandum nutrici;

nutrici; si ipsa alit, brevî tamen ablactat: Deus erga hominem semper fungitur nutricis officio, ideóque nomen Tsaddaï sibi tribui voluit, ut Mammosus diceretur; & Sapientia seu Providentia divina, loquens instar Deo assistentis, de seipsa pronuntiat, *cum eo eram cuncta componens*, creans ac conservans, seu, ut alia versio habet, *cum eo eram velut nutrix*. Denique mater filium ablactatum sinu & brachiis gestat, donec per se ingredi didicerit: Deus semper portat hominem verbo virtutis suæ, multò magis quàm cæteras partes Universi: *usque ad senectam ego ipse*, inquit per Isaiam cap. 46. *& usque ad canos ego portabo*.

X. *Christi doctrina ea de re.* Abire hinc non possumus, quin indicemus argumenta quibus Christus ipse Matth. 6. curam illam Dei de hominibus plusquam paternam commendat, & solicitudinem hominum nimiam de rebus temporalibus circumcîdit. Primùm, quia ista solicitudo Deo contumeliam facit: de ipso enim diffidit, quasi providere vel nesciret, vel nequiret,

quiret, vel nollet. Cùm tamen velit, quia *Pater* est, & animam dedit ac corpus, quæ pluris sunt quàm alimenta: cùm possit, quia Creator est & Conservator, quod *volatilia cæli* docebunt, & *lilia agri*: cùm sciat, quia est *Pater cæleſtis*, & è specula sublimi æternitatis suæ singula contemplatur. Deinde, indigna est Christiano solicitudo istiusmodi: *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Disputent crassi Judæi, *Numquid Deus panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* At Christianos post certam Providentiæ divinæ cognitionem, & experientiam quotidianam, diffidere, prorsùs intolerandum est. Tertiò, cura est inutilis & supervacanea: *Quis enim cogitans poterit adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Quis æger sanitatem promovet assiduè de illa meditando? Quis mercator navim anxiâ curâ in portum impellit? Quis pater-familias inquietis & importunis consiliis rem domesticam auget? Quis bellator, aut princeps, publicæ rei prodest tumultuosis imminentium negotiorum, aut periculorum, præcogitationibus?

tationibus? Neque inutilis modò, sed & plurimùm noxia est nimia solicitudo. Multi de vestibus anxiè satagendo corpus exedêre: plures curâ ciborum ac ventris animam perdidêre: plurimi jacturam æternorum immodicis caducorum studiis fecêre. *Nonne* tamen *anima plus est, quàm esca; & corpus plus, quàm vestimentum?* Nonne propter vitam causas vivendi perdere, infæliciſſimæ insaniæ est?

XI. *Deus singulariter amicos curat.* Ex affectu Dei singulari erga quosvis homines, facilè est colligere peculiarem ipsius erga amicos suos providentiam, ut ejus exigit ordinatissima caritas. *Misericordiam & veritatem diligit Deus*, inquit Regius Vates Psal. 83. quod alii, valdè aptè ad argumentum nostrum, vertêre ex Hebræo, *Sol & scutum Dominus.* Quemadmodùm enim Sol illuminans per omnia respicit, & oritur super justos & injustos: influentiarum tamen arcanâ vi Lunam, aurum, adamantem, corda animantium singulariter afficere dicitur. Et quomodò scuto, non pectus solùm sicuti loricâ, aut caput veluti

veluti galeâ, sed membra omnia quæ petuntur contegimus: illa tamen magis defendimus, quibus maximè vita continetur. Ita Sol Deus est ac scutum, quia omnibus quidem hominibus communicat lumen vultus sui, omnésque tuetur ac protegit: communis tamen ille inspector, ac defensor, peculiari studio amicos complectitur. *Providentiam aliis creaturis non negamus*, inquit Bernardus Serm. 68. in Cant. *curam sponsa vendicat sibi.* Eodem sensu Ambrosius lib. 4. in Lucam: *Dominus dormit tepidis, vigilat perfectis.* Quamdiu vigiles sumus ad ipsi obsequendum, non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Sic nos Deus visitat, sicut illum colimus.

XII. *Vitam eorum corporalem.* Vitas tres vivit amicus Dei; Corporalem, quæ ipsi cum animalibus cæteris communis est: Civilem, quæ ex bona existimatione & judiciis hominum existit: Spiritualem ac divinam, quæ in vera virtute, & arctâ cum supremo Numine per sincerum cultum conjunctione posita est. Infima Vi-

tarum

tarum trium tanti tamen est, ut vel Caini, vel alterius cujusvis perditi hominis vita pretio æstimari non possit, & omnia quæ habet homo det pro anima sua. Quanti ergo erit vita viri probi, qui Deo natus, & sibi, Dei honorem ante commoda sua ponere consuevit? *Erit* nempe ejus *anima custodita quasi in fasciculo viventium ante Dominum*, quod de Davide prudens Abigail asserebat 1. Reg. 25. Si tibi hoc voles demonstratum, specta innatantem horrendæ terrarum omnium eluvioni Noëmicam navim. Abrahamum vide Dei custodiâ ubique septum, imò ejus uxorem secundariam Saræque ancillam Agarem. Jacobum sequere quando illum Deus deduxit per vias rectas, & post peregrinationum pericula Josephum ejus filium, fratribus longè aliud spectantibus, præmisit in exteram regionem, ut annonam fami venturæ comparceret. Comitare in solitudine populum Israëliticum universum, & quotidianum ciborum, quibus perpluitur & vescitur, demensum expende. De corvo Eliæ, de Elisæi farina & tritico,

tritico, de ignibus Babylonicis trium Hebræorum, de leonibus Danielis & pulmento Habacuc, de aliis innumeris ejusmodi, quos Deus extraordinariâ providentiâ servavit à facie tempestatum famis, longum esset recensere, & forsan recentius aliquid desiderabis. Innovata fuêre hoc ipso sæculo prisca Israëliticæ plebis miracula in Guairanis Americæ neophytis. Rabiem hostium fugiebant capitum circiter millia duodecim. Præibat palantem gregem Joannes Ardennesius Leodiensis, Sacerdos è Societate JESU, ductor pastorque: etsi vix erat quo corpora pasceret. Sed Deus hanc pastoris partem implere statuerat. Consumptis enim alimentis omnibus, vis ingens herbarum in vicino flumine, numquam antehac illic visarum apparuit, alibilium, & boni saporis ac palato grati. Utque manifestius esset Dei beneficium, post collectam sub ortum solis singulis familiis portionem, nîl supererat; sequenti verò manè ita excreverat repentina seges, ut abundè omnibus sufficeret. Quotidia-

num prodigium ad messem usque adultam perduravit: Deo tunc demum extra ordinem ac supra naturam operari desinente, cùm ordo naturæ redierat. Ita ex Paraquaria ab ipso populi istius ductore scriptum, anno hujus sæculi tricesimo quinto.

XIII. *Vitam item Civilem & Spiritualē.* Civilem autem suorum vitam, quæ apud cordatos corporali pluris est, & in honoris ac bonæ famæ, ex virtute nascentis, præmio consistit, servaturum se Deus nominatim pollicitus est, Regum 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Stetisse promissis infinita testantur: mendaces enim ostendit, qui maculaverunt sanctos suos; fecit, ut ab auditione mala non timerent, qui apud ipsum benè audiebant: voluit, ut quod ipsi fecerunt narretur in memoriam eorum, & dici possit, Nimis honorati sunt amici tui Deus: si quid ipsis interim infamiæ ad exercitationem virtutis inuri passus est, multiplici honoris fœnore postmodùm compensavit, ut in Sanctorum apud fideles gloria passim vi-

dere est. Si verò Civilem ac Corporalem amicorum vitam tam studiosè Deus solet defendere, quid de spiritali dicemus, cujus vel minimum detrimentum universi mundi lucro sarciri non potest? Lib. 1. Reg. cap. 2. de Deo concinuit Samuelis mater, *Pedes Sanctorum suorum servabit.* At cur pedes potissimùm memoras Prophetis sapientissima? Quidni potiùs oculos, cor, caput, aliáve nobiliora membrorum? Omissis variis explicationibus, commodè Cajetanus dicit, pedum fieri mentionem, ut inde inferatur quanta sit cura capitis, cùm viliſsima membra accuratè custodiantur. Vidisti quâ diligentiâ Deus corpora Sanctorum, & honorem, id est pedes, servet: ut vel hinc scias, quomodo animam tueatur, corque, & caput hominis in illum ex utero projecti, quem docet à juventute, & usque in senectam & senium: quem, ut ait Laurentius Justinianus lib. de triumphali Christi agone cap. 25. *comitatur in negotiis, ne delinquat; in periculis, ne cadat; in prosperitatibus, ne se extollat; in laboribus,*

ne deficiat; in dubiis, ne erret; in hujus vitæ itineribus, ne æternæ vitæ consolationem amittat.

PARS SECUNDA.

Officia bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primum Officium,

Acquiescere Deo sive sese resignare, in malis pœnæ quibuslibet, etiam per malam hominum voluntatem inflictis.

I. *A bono non nisi bonum.*

QUISQUIS hoc firmiter crederet, & menti imprimeret: Mala quæ vel sibi, vel necessitudine aliqua conjunctis, eveniunt, ex destinata ac speciali Dei providentia evenire, non difficulter suam illi voluntatem quietè ac demissè confirmaret. Sic enim ratiocinaretur. Deus hoc voluit: Deus bonus non potest nisi bonum velle: bonum ergo hoc est, quod accidit. Si bonus est, qui voluit; malus ego sim, qui nolim. Si bonum est, quod Deus vult; stultus ego sim, si nolim, quod bonum est. Ex tam bona caussa effectus non potest esse, nisi

bonus. Vident Beatorum multi è cœlo animas amicorum suorum apud inferos, Christus Judam, Jonathas Saülem, David Absalonem, tranquilli tamen ac læti vident: nobis idem accidet, cùm in cælo erimus. Unde ea ex tam tristi spectaculo tranquillitas? Sciunt à Deo esse, & malum esse damnatis, non tamen malum in se, quia *bonus est Dominus, & omnia, quæ vult bonus, bona sint necesse est.* Animæ in Purgatoriis ignibus summâ propensione feruntur ad videndum Deum, nollent tamen obscuros illos carceres exire, nisi per se, aliósve, justitiæ divinæ ad libellam satisfecerint: quia sciunt Deum aliter nolle, & bonum esse sciunt, quidquid Deus vult.

II. *Calamitatum genera duo.* Idem nobis, ex ejusdem veritatis cognitione, faciendum est in hujus vitæ calamitatibus. Earum duo sunt genera: aliæ enim ab ipso Deo immediatè, ut vulgò loquimur, accidunt; aliæ, mediatè. Immediatè à Deo proficisci dicuntur, quæ per causas naturales & necessarias fiunt, ut ab aëre, à ventis,

ab

ab anni tempestatibus, à bestiis: cujusmodi ferè sunt pestis, sterilitas, paupertas, ægritudinum pars magna, inundationes, fortuita à fulminibus incendia, corporum animorumque intemperies improvisa. Inter mala à Deo immediatè obvenientia etiam illa connumero, quæ per dæmonem ejúsve artes infliguntur. Cùm enim dæmonem non videamus, quod nobis per illum accidit, facilè velut à Deo ipso accidat accipimus. Præterea scimus, dæmonis arbitrio non omnimodam ad nocendum libertatem à Deo permitti, sed malam ejus voluntatem restringi, colligatámque attineri canis istar, qui non incurrit, nisi quatenus ab hero solvitur. Vel ex Matthæi capite 8. id patet, ubi dæmonum legio per Christum in porcos ingredi finitur: tum ut porcinorum ingeniorum homines intelligamus esse diabolo gratissimam sedem: tum ut Christi potentia ex damno ingratorum Gerasenorum, & ex dæmonum supplicibus postulatis, agnosceretur: tum maximè, ut disceretur, nihil dæmoni licere in vilia animalia,

malia, multò minùs in homines, nisi Dei permissu. Alterum calamitatum genus est ab hominum mala voluntate, seu nostrâ, seu alienâ: ejusmodi sunt, bella ex consiliis Achitophelis, calumniæ à senibus Susannæ insidiantibus, lites à mendaci meretricula filium contubernalis suffurata, incendia segetum ab Absalonis emissariis, cædes fratrum ab Abimelecho, aliáque ejusmodi quotidiana.

III. *Conformatio voluntatis in priore malorum genere.*

In priore malorum genere difficile non est, suam cum divina conformare voluntatem. Cùm enim ibi nîl videamus, nisi Dei providẽtiam, non dubitamus quin à bono bonum profluxerit, etsi ratio nobis sit ignota: occurritq; tunc nobis idem, quod Augustino: *Quidquid accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de Providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: &, si nos non intelligimus quid, quare fiat, demus hoc ipsius Providentiæ, quia non fit sine causâ.* Explicat hoc Dorotheus familiari similitudine. Nactus fuisti amicum verum, since-

ſincerum, non curiæ, ut aiunt, ſed cordis, Jonathan alterum, à quo tibi mali nihil umquam, boni plurimum accidit. Is fortè tibi incommodum aliquod in ſpeciem poſtmodùm creat: an ideò excandeſcas, obmurmures, inclames, peccatum eſſe contra amicitiæ leges? Nonne potiùs ſic tecum diſputes: notus mihi eſt amici mei animus experientiâ diuturnâ, & certâ: conſtat mihi, id ab ipſo malum profectum non eſſe malâ mente: eſt in ſpeciem incommodum, at certè ex ipſius benevolentia, non dubito, quin commodum meum ſpectârit. Ecquemnam Chriſto amicum meliorem, conſtantiorem, bonorum ſuorum liberaliorem largitorem invenias? Poſtquam te donavit temetipſo, & ſimul tot naturæ ac gratiæ bonis, aliquid corpori tuo aut animo affert incommodi. Conquerarísne? Iraſcaris? Mentem triſtitiâ torqueas? Animum deſpondeas? Fiduciam amittas? Caveſis: imò dic cum D. Polycarpo, quando ad imprecationes adversùs Chriſtum provocabatur: Octoginta ſex annis ipſi ſervivi, &

nihil mihi mali fecit, & ego ipsi maledicam? Ita omninò est, nihil umquam nobis mali fecit optimus parens: aut si quid mali intulit, ad bonum retulit, adeóque bonum fuit.

IV. *Expenditur à Chrysostomo.* Luculentissimè hæc ratiocinatio tractatur à Chrysostomo, libris tribus de Providentiâ, ad Stagirium inscriptis. Nobili loco natus, abdicata re familiari, & spe dignitatum, in domum religiosam se abdiderat: sed ibi elanguescente sensim studio pietatis, non sat religiosè vixerat. Pœnas negligentiæ commeritus, repentè Dei permissu à Dæmone insidetur, cùm officium divinum publicè persolventibus adesset. Simul invisus hospes domicilium corporis invasit, & funestæ nigrarum cogitationum catervæ animum occupavêre. Redibat in mentem præteriti temporis recordatio: torquebat futurorum præcogitatio: gravis erat conspectus familiarium: obversabatur animo mœror parentum, si quà ad ipsos rumor de eventu tam tristi perveniret: aliorum lætitia triste

pectus

pectus comparatione assiduâ vulnerabat: angor, pudor, metus, tædium vitæ, desperatio meliorum, miseri juvenis viscera perpetuò laniabant. Ut tot malis mederetur Chrysostomus, ponit primùm, à Providentia Dei accidere omnia: deinde, nisi ejus permissu dæmoni tantum non licuisse, cui ne in porcos quidem quidquam Christi injussu licuerit: tertiò, mores esse Dei, ut, bonis exercendis, calamitates vel ultrò immittat ipse, vel ab aliis sinat inferri: quartò, ex ipsius Stagirii malo bona multa elici, quòd minùs sit dissolutus, quòd aliis exemplo præeat, quòd in humili modestia se contineat: denique, quod caput est, id malum, qualecumque sit, profectum à bono, & ad bonum finem, adeóque adorandam ex imis visceribus, & amandam, quantum fieri potest, divinam Providentiam.

v. *Ostenditur in exemplis.* Proponi solent pro exemplis, digito Dei descriptis, Job & Tobias. Hic per caussas necessarias amisso visu, *Non est* tamen *contristatus, quòd plaga cæcitatis acciderit ei,*

sed immobilis in Dei timore permansit. Ille rebus omnibus dæmonis invidiâ, per causas partim necessarias, partim liberas, spoliatus numquam dixit, *Deus dedit, diabolus abstulit:* Sed constanter iteravit, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum:* ut advertit D. Gregorius libro 2. Moral. cap. 12. Alter D. Gregorius libro de Gloria Confessorum c. 24. illustre aliud exemplum profert in D. Monegunde. Dederat ei Deus filias duas formæ exquisitæ, & amabilis indolis. Mater, & filias, & speciosissimas, & pulchrè moratas, amabat unicè: iis curandis, educãdis, ornandis, producendis, studium & horas impendebat. Displicuit Deo solicitudo nimia, & virtuti noxia. Velut bonæ segeti onerosas steriles plantas eradicari voluit: &, quia difficile erat nisi materia ipsa tolleretur, filiabus vitam aufferre statuit, ut & ipsis meliorem daret, & matri sanctiorem. Utramque morbus invadit, simul mœror ingens pectus maternum, auctus in immensum postquam vis mali, clusâ medicorum arte, ægras ad extrema

trema deduxit, & matrem ad triſtia funera. Quis illam hoc articulo flere vetuerit? Quis gemitum ex imo ducere? Quis pullis ædes veſtire, vultui tenebras inducere, ut animi ſui noctem indicet, utroque lumine amiſſo? Iſta maximè agentem, & naturæ jura ſolventem, ſubiit Chriſtiana & ſancta cogitatio. Ecquidnam agimus? Flemus filias: amiſſas utique, & eò profectas, unde redituræ huc non ſunt. Irrecuperabilis jactura eſt, & ipſarum, & doloris mei, qui ſine ſpe fructûs impenditur. Quid autem doleo? Quod Deus voluit: quod bonus fecit. Benè ergo voluit, & bonum fecit, qui nec voluntate falli poteſt, nec facto errare. Abſtulit meas, imò repetiit ſuas. Præſcidit vitam, quam dederat: evocavit animas, quas miſerat: liberavit, quas incluſerat: innoxias adhuc, & peccare neſcias, aut graviorum ſaltem noxarum puras, eripuit occaſionibus peccandi. Quàm multis longa vita æternæ mortis fuit initium? Quidquid ejus rei ſit: certè filias meas mori Deus voluit, & bonus voluit, &

benè voluit: & mala ſim ac mihi malè velim, niſi optimæ voluntatis ſapientiſſimæque rationis decretis acquieſcam. Dixit ſapienter, fecit fortiter. Exterſis lacrymis, præfocato dolore, in unam Dei voluntatem intenta, vale longum curis familiaribus fecit, quarum cauſſas amiſerat: cum ancillula unica ſe incluſit: reliquum vitæ ſanctè egit, & ſanctè mortua filias accepit, & ab ipſis recepta eſt eo loco, ubi ſola Dei voluntas regnat, & voluntates omnes Beatorum æternâ tranquillitate continet.

VI. *Difficulter Deus adſpicitur, ubi malitia humana intervenit.*

Non difficile equidem, ais, ubi malitia hominum nulla intervenit, Deo ſtatuenti acquieſcere. At ubi peccata partes ſuas agunt, ubi nequitia intercurrit, hoc opus hic labor eſt. Inimici capitalis odia malum mihi creavêre: rivalis injuſti ambitio inquieta me de gradu deturbavit: invidia lividi æqualis ſperatam dignitatem de manibus meis extorſit: avaritia vicini lites mihi de finibus fecit: negligentiâ famuli amiſſæ ſunt ſegetes, arsêre

arsêre villæ, periêre pecora: impotentes domini miserum subditum depauperavêre, milites spoliavêre, latrones diripuêre: ipse ego intemperantiâ meâ morbos mihi accersivi, peccatorum veterum novas quotidie pœnas à me invitus repeto. Inter tot peccantium voluntates quo pacto divinam voluntatem adspiciam? Bona hæc sit, & bonum velit, ac faciat: at hæ malæ sunt, malumque volunt & faciunt. A Deo tu ista esse dixeris, quæ peccata sunt, & Deum mali auctorem feceris? Cur ergo Davidis illud laudatum: *Melius est mihi incidere in manus Dei, multæ enim misericordiæ ejus sunt, quàm in manus hominum?*

VII. *Malum Culpæ, & Pœnæ.* Ut huic difficultati satisfiat, Theologi passim in peccato distinguũt mala duo, Culpæ unum, alterum Pœnæ. Culpæ malum, inquiunt, Deus directò & absolutè velle non potest, permittit tantùm, & utique non permittit, nisi volens permittere. Malum pœnæ, cum culpa conjunctum, planè & directò vult. Genesis cap. 4. Abel cum

Caino

Caïno prodit in agrum, postquam Deus respexit sive inflammavit super munera ejus, Caïn invidiâ turbatus in Dei providentiam invehitur, ut narrat Hierosolymitanus paraphrastes. Contra loquente, ut oportuit, Abelo, jurgium enatum, & ferocior ac fortior primogenitus mactat secundogenitum, quem idcirco aiunt vocatum Martyrem Providentiæ divinæ. In eo Caïni peccato spectanda duo sunt: Primum, culpa homicidii, quam cæde fratris contraxit; Deo, etsi posset impedire, nolente tamen: permittente itaque, & permissionem volente ob causas justissimas. Alterum est pœnæ malum, quod ex Caïni culpa transit in Abelem: diffractio capitis, vulnus, mors. Culpa manet in Caïno: Pœna est in Abele. Hanc Deus omninò voluit, id est, damnatâ causâ probavit effectum.

VIII. *Voluntas Dei quas in peccato partes habeat.*

Rem eamdem alii alio modo explicant. Tria considerant ex parte Dei, Voluntatem permittendi peccati, Causam permittendi, Voluntatem cooperandi.

Crimen

Crimen sine dubio vult Deus permittere: quia, si mallet impedire, multis viis posset. Habet caussam permittendi ob fines optimos, quos in Excursu ad caput primum primi Machabæorum libri expendimus: neque enim optimus Deus de bono sineret fieri malè, nisi omnipotens de malo facere posset benè. Denique accedit voluntas Dei cooperatrix: nam creatura sine Deo neque intelligere posset, nec velle, nec se commovere, ut malè ageret. Ita Drexelius noster explicat in Heliotropio: nos in historia D. Remigii rem planam faciemus. Coëmerat frumenta, & horrea impleverat, ut pauperibus in fame ventura, quam Deo monente instar alterius Josephi prævideratt, subvenire posset. Nebulones aliqui, senem avarum & suppressorem frumentorum increpantes, horrea incenderunt. Evocatus ad incendii nuntium D. Remigius, inscenso equo accurrit, sed serò, exustis acervis omnibus, prostratis igne horreorum culminibus, & humi ardentibus. Nihil ad tam fœdum spectaculum commo-

commotus, ut erat compositissimæ ad divinam voluntatem mentis, & lepidi etiam inter tristia ingenii, exscenso equo, expansisque ad trabes ardentes manibus: calefaciamus, inquit, commodus enim est omni tempore ignis, ætati præsertim senili, & à crassioribus lignis. Tantum incendiariorum crimen Deus permittere voluit: si noluisset, cogitationes eorum & consilia aliò divertisset. Deinde caussam permittendi optimam habuit, exercitationem patientiæ, & tranquillitatis exemplum singulare in D. Remigio. Denique accessit voluntas cooperandi, citra quam incendiarii neque actum voluntatis elicuissent; nec manus moviſſent, ad faces & paleam flamis ministrandam; nec flamæ ipsæ vim urendi habuissent magis, quàm in fornace Babylonica. Totum itaque istud incendium à Deo fuit, licèt peccata intervenerint.

IX. *Deus calamitatũ omnium caussa prima.*

Clarissimè ad mentem meam, & solidissimè, partes Divinæ voluntatis in hominum peccatis, alteri nocentibus, demonstrat noster Theo-

Theophilus Bernardinus libro II. de Perseverantia cap. 4. hunc ferè in modum. Cogitandum eos, qui quacumque nos ratione impetunt & offendunt, duas velut personas exhibere: unam, quà obesse nobis volunt; alteram, quà obesse possunt. Quà injustè nocere volunt, hominum personam gerunt, malorum, & peccantium, divinæque voluntati peccando contranitentium. Quà nocere possunt, instrumenta sunt Dei, concursum potentiæ suæ, ad nostram castigationem vel exercitationem, perversæ voluntati accommodantis. Itaque ipsi malorum nostrorum sunt solummodò caussa secundaria, &, ut loquimur, instrumentalis: Deus autem est caussa prima & motrix. Prorsus ut in pictoria artifex se habet erga penicillum, & in fabrili operarius erga malleum. Nec refert quod homo, qui peccato suo aliis noxius est, utatur etiam voluntate sua, spontéque ac liberè noceat: nam & ipsam malam hominis peccantis voluntatem, etsi Deus prohibet ac damnat, permittit tamen, & permissam ad opus suum adhibet, instar instrumenti.

X. *Ita Scriptura loquuntur.*

Majúsne umquam fuit crimen Christicidio? De Christi tamen Passione Deus ipsemet dicit Isaïæ cap. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Non dicit, percussêre Sacerdotes invidiâ, percussit Cayphas consilio, percussit Judas proditione, percussêre Judæi linguâ, percussit Pilatus injustâ sententiâ, percussêre carnifices crudelitate: sed ego *percussi eum.* Quia scilicet in Christi Passione Deus primus erat actor & motor, qui tot perversas & impias hominum voluntates, velut optimæ & sapientissimæ Providentiæ instrumenta admovebat ad Filii sui cruciatum simul, & ad salutem Universi. Dubitari non potest, quin peccata plurima in bellis aut inchoandis, aut ducendis, partes suas agant. Bella tamen sibi Deus tribuit, quasi caussæ primariæ: quia quidquid in bellis agitur, ejus justitiæ servit in puniendis populorum criminibus, & misericordiæ in corrigendis. Ambitio Chaldeos in Judæam immittit: eâ utitur vindex Deus ad castiganda Judæorum peccata, idque Ezechieli ostensum in curru,

multi-

multiformibus animalibus juncto, cujus habenas vindicta divina moderabatur. Apertiùs id à Michæa pronuntiatum c. 1. *Descendit malum à Domino in portam Ierusalem.* Ain' tu à Domino venisse? Nonne ab injusta potiùs Babyloniorum cupiditate profectum est? Imò & à Babyloniis venit malum, ut à caussa instrumentaria: sed à Deo accidit, velut à caussa primaria. Eâdem sententiâ Habacuc cap. 1. post longas de infælicitate populi sui querimonias, & de Chaldaicæ gentis victoriis, velut sibi ipsi respondens: *Domine*, inquit, *in judicium posuisti eum, & fortem* Chaldæum, *ut corriperes* Judæos, *fundasti eum.* Eò semper reditur, hostes instrumenta Dei esse, justè & misericorditer vindicantis: quia mala quidem voluntas nocendi ab ipsis est, at potestas nocendi non est nisi à Deo, illam concedente ob fines optimos, quia optimus est. Similem in modum cap. 2. descripta obsidione Babylonica per Darium & Cyrum, ubi latrocinia, homicidia, stupra, aliáque innumera flagitia contigêre, ait, *Numquid non*

hæc

hæc sunt à Domino Deo exercituum? Hæc cine, inquit, à Deo? Tot mala ab optimo? Planè ab illo sunt, non quà peccata, sed quà noxia. Malæ & injustæ voluntates ambitiosorum Regum, cruentorum satellitum, luxuriosorum militum, instrumenta fuêre optimæ ac justissimæ voluntatis.

XI. *Dei manus in omnibus adspicienda.* Hinc ad usum nostrum colligamus; Primò, quidquid nobis eveniat negligentiâ, ignorantiâ, imprudentiâ, malevolentiâ alienâ vel nostrâ, statim convertendos ad Deum oculos, velut ad motorem primarium. Deus hoc permisit, nec permisit nisi volens permittere; eáque permissione ob justas caussas posita, malo ipso bonus ad bonum utitur: admovet errores meos & alienos ad utilitatem meam, velut artifex instrumenta operi perficiendo: sinatur operarius sapientissimus efficere quod cupit, & quibus videtur instrumentis. Nihil agent, nisi quatenus movebuntur à doctissima manu, & aliquid se dignum productură, nisi opus ipsum nodosæ voluntatis

tatis obstinatione resistat opifici. Apud Theodoretum in Vitis Patrum cap. 21. Dæmoni plagas comminanti Jacobus Anachoreta, percute, inquit, si tibi permissum est, percute: lubens accipiam verbera, quia ab eo accipiam, qui feriri me permisit. Si autem id tibi permissum non est, insanias licèt, numquam percusseris. Facilè id quidem, ut antè diximus, de dæmone intelligitur, nîl facere nisi Dei permissu. Sed, si attendimus, idem in afflictis dæmonum peccatoribus agitur: non nocent, nisi quomodò, & quatenus, à Deo sinuntur. Eam ob caussam apud Paullum Diaconum lib. 23. Irene Imperatrix de solio per servum deturbata, identidem ingeminabat: Gratiæ Deo, quòd indignam me ad imperium evexerit, gratiæ etiam quòd me dejecerit: ab ipsius manu & hoc & illud fuit; illud immerenti collatum, hoc inflictum promeritæ. In omnibus autem bonis, & malis, Sit nomen Domini benedictum.

XII. Se-

XII. *Vindicta non coquenda.*

Secundò, discamus non indignari adversùs inimicos, non vindictam coquere, non malum malo rependere. Si enim instrumenta Dei sunt, tantumdem illis irascendo fecerimus, quantum stultus, qui virgis cæsus non appetit cædentem, sed magnificè sese ultum putat, si virgas admordeat & diffringat. Aut, quæ vulgaris similitudo est, à Dorotheo ad rem nostram adhibita, Doctrinâ sept. canum instar erimus, qui lapidibus appetiti, omisso jaculatore, ad lapidem admordendum excurrunt. Sic miser Saül à Deo destitutus, non adspicit Dei justam manum, non osculatur, non adorat: sed nunc bilem suam egerit in Davidem, nunc in Jonathan, nunc in Achimelechum: prorsùs ut homo mergens obvia quæque apprehendere, & secum trahere solet. Sic etiam lib. Regum 4. cap. 6. Rex Samariæ, invalescente fame, non intuetur auctorem Deum, sed in Elisæum invehitur, juratque filio Saphath caput recisum iri. Contrà sapientissimè & sanctis-

simè

simè David lib. Reg. 2. cap. 16. ab homine maledico convitiis appetitus, *Dominus*, inquit, *præcepit*, *ut malediceret*, id est, malâ ejus voluntate ad pœnam meam utitur. Eumdem in modum Josephus Geneſis cap. 45. fratribus ait, *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Non equidem neſciebat de ſe occidendo, in ciſternam demittendo, Madianitis negotiatoribus in Ægyptum tendentibus vendendo, conſultaſſe: ſed Deum etiam ſciebat eorum impia conſultatione uſum eſſe, tamquam malo inſtrumento bonum opificem. Explicatiùs loquitur cap. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Quando nocere voluiſtis, veſtro animo ſervîſtis: at cùm nocendi poteſtas acceſſit, non vobis ipſi ſervîſtis, ſed Deo, alios longè fines gloriæ ſuæ, virtutis meæ, utilitatis veſtræ, cogitanti.

XIII. *Licet tamen defenſio, & quatenùs.* Tertiò notandum: etſi vindicta non liceat homini Deum attendenti, juſtam tamen defenſionem licere, cum moderamine in-

culpatæ tutelæ, ut scholæ loquuntur: id est, quatenùs necesse est, ut vitam bonáve tua, quæ injustè impetuntur, conserves. Honorem tuum, famam, bona, vitam inimicus aggreditur: resiste, nec metue ne resistendo contraeas voluntati Dei. Quemadmodùm enim, cùm ægrotas, medicos & medicamenta adhibes, quia scis Deum voluisse ut ægrotares, nescis an te sanari nolit. Ita in malis per hominem inflictis, scis Deum voluisse ut illa exciperes, nescis an velit ut in illis perseveres. Itaque defende te, quà justum est: potestea quam id feceris, si malum perseveret, tunc tibi constabit & hoc Deum velle, adeoque ejus voluntati acquiesces.

XIV. *Solida afflicti consolatio.* Quia doctrina ista maximi momenti est, ut usus sit clarior, fingamus adesse nos consolatores calamitoso alicui, cum utroque, quod notavimus, genere miseriarum conflictanti. Æstu febrem contraxit, quod malum à Deo immediatè esse diximus: falsis testimoniis de patrimonio deturbatus

tus est, quale malum mediatè à Deo proficiscitur. Post voces amoris & misericordiæ testes, suaviter monemus, ut Deum attendat: à quo æstus & hyems, sanitas & ægritudo, vita & mors. Facilè, inquit, à Deo intelligo, morbum evenisse: nec mihi id tantopere dolet, quando summi Domini, justam & benignam manum, vel plectentem, vel exercentem adspicio. At facultatibus meis pessima hominum voluntate excidisse, id verò molestissimè fero. Atqui, mi homo, tam tibi à Deo paupertas hæc accidit, quàm ille morbus. Itane verò, inquit, à Deo justissimo & optimo injustitia & peccatum acciderint? Peccatum, inquam, Deus non vult: sed pœnam ex illo inflictam voluit. Instrumento malo usus est, usus tamen. Tu instrumentum ne intueare, sed manum artificis. Si quis te chirothecâ verberârit, trahásne chirothecam in jus, an verberantem? Disputa ergo & contende cum Deo, & de illo, si audes, conquerere. Equidem, inquit, de Deo non conqueror, sed de hominis mala voluntate: ferre illam nequeo,

non concoquere. O bone, hominem semper intueris: ego ad Deum oculos tuos avoco. Quid voluntas humana potuit? Unde? Quamobrem? Permissione divina, imò & cooperatione potuit: si divinâ, ergo optimâ, laudabilissimâ, amabilissimâ: ergo malè querimonias multiplicas, & excandescis, & vindictam coquis. Ut quidem loqueris, inquit, adversùs injustè rapientem, accusantem, ferientem defendere me non liceat. Non hoc dico: Deus impeti te voluit, nescis an ab impetente nolit te liberari: interim defendas te licet, sed modestè, tranquillè, Christianè, sine strepitu iræ, sine conatu vindictæ, non ut malum inferas, sed ut malum repellas, si Deus volet. Si autem Deus nolet, & defensioni tuæ negabit efficaciam, conquiesce, & illud apud te recole, damnando cum Augustino injustam voluntatem, glorificando justam permissionem: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertet illud in bonum*: &: *Quis est, qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus?*

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Alterum bonæ voluntatis officium,

Fidere Providentiæ divinæ in malis quibuslibet.

I. *Fiducia quando habēda.* REsignatio in Dei voluntate, ut jam loquimur, aliud nîl est, quàm tranquilla & obediens acceptatio omnium eventuum, qui à divina Providentia contingunt, sive perfecta conformatio voluntatis nostræ cum divina in rebus omnibus, quæ vel nobis ipsis, vel sanguine amicitiáve conjunctis accidunt. Etsi ea virtus etiam in bonis de manu Dei accipiendis exercetur: quia tamen id difficile non est, & impii ipsi divinæ voluntati se conformant, confitenturque illi cùm benefecerit eis: ideo Resignatio seu Conformatio tunc propriè spectari solet, cùm calamitatibus à Deo, per se vel per homines illatis, acquiescimus. Eodem modo hîc loquimur de Fiducia, quam Providentiæ divinæ debemus. Semper illi fidendum, sive in pro-

ſperis ſimus, ſive in adverſis: cogitandumque, à paterno ipſius affectu & hæc, & illa ad utilitatem noſtram proficiſci. Sed quia ſpes læto tempore facilis eſt, triſti difficilis, de iſta nunc tantummodò agemus, alibi de alia.

II. *Periclitatur in tempeſtate.* Apud Marcum cap. 6. Apoſtoli tempeſtate jactati vident Chriſtum ambulantem ſuper aquas, & rati phantaſma eſſe, præ timore exclamant. Itane verò, tam probè cognitum, & familiarem vobis Dominum pro phantaſmate haberi? Neſcitis morti imperaſſe? Non interfuiſtis modò mirandis panum multiplicatorum epulis? Qui naturæ & morti imperârit, imperare fluctibus non poſſit? Sed nox erat, & tempeſtas: inde turbato & obtenebrato judicio, Chriſtus phantaſmatis inſtar viſus eſt. Eumdem in modum Chriſtianis ſæpiſſimè accidit. Vident Chriſtum, & agnoſcunt, quamdiu tempeſtas non eſt. At poſtquam tenebræ ſeſe intendêre, & procellis quaſſa eſt navicula, tunc ſimul fiducia concutitur: nigra phantaſmata, deje-

dejectio animi, desperatio meliorum, aliæque tenebrosæ cogitationes mergunt judicium, & voluntati naufragium minantur. Quid autem timidi estis modicæ fidei homines? Quia externa rerum facies mutavit, Deum simul mutasse arbitramini? Nescitis, procelloso cælo pariter ac sereno, Deum esse semper suorum patrem, semper bonum? Amovendæ igitur diffidentiæ omni inter quantaslibet miserias, Christiana mens, peccati gravis sibi non conscia, hæc solùm perpendat certissimæ veritatis argumenta: Deus pater est, ergo non castigat nisi ad bonum filii: Deus pater est, ergo non recusabit, quod rogabitut, si est ad bonum filii.

III. *Paterna castigatio.*

Perpendi illud volebat Augustinus in Psalmum 54. *Gaudes? Agnosce patrem blandientem. Tribularis? Agnosce emendantem. Sive blanditur, sive emendat, eum erudit cui parat hæreditatem.* Absit ut illum carnificis instar habeas, cui solum officium est, reos torquere: aut malis nostris ipsum gaudere

existimes, velut Adonibesecum præfecti captivorum manibus oculos pascentem, Neronémve ad incendiorum spectacula plaudentem, aut alia tyrannorum monstra, quibus voluptas ex alieno malo quærebatur. Cùm puer esses, si patrem animi paterni habuisti, expertus es, quod ait Augustinus, nunc blandum, nunc severum, prout utilitas tua postulabat. Laudavit te, muneratus est, extulit, ut ad benè faciendum animaret. Reprehendit, castigavit, depressit, non ut malo tuo lætaretur, sed ut à malo te avocaret. Narrat Episcopus Barbastensis Nuza Tomi 1. tractatu altero, parte 2. visum à se Illustrissimum Comitem, qui à filio graviter offensus, quia ille jam magno natu erat, & pueriles castigationes emerserat, ut tamen testaretur quid commeritus esset, ipsius effigiem, præsentis ac spectantis, laceravit. Ita optimus Pater cælestis agit cum filiis immorigeris: ut animam errantem officii sui moneat, & servet, effigiem lacerat, id est valetudinem, facultatem, honorem. Quid enim ista sunt, quàm,

quod

quod Tertullianus de corpore dicebat, *Statua titulo hominis inciſa?*

IV. *Oculata & medica.* Moſes de Joſepho, Salvatoris noſtri & parentis optimi expreſſiſſimâ figurâ, loquens Deuteronomii cap. 33. hunc in multis titulum habet: *Cornua rhinocerotis, cornua illius.* Ubi advertendum, rhinoceroti cornu ſitum eſſe infra oculos, non ſupra ut tauro: ideóque non ex cæco impetu ferire, ſed ex deſtinato, videréque quid petat. Notandum item, rhinocerotis cornui vim medicam ineſſe adversùs venena ac peſtes: quod enim monoceroti tribuitur, id rhinoceroti dandum, cùm alius non ſit monoceros. Cornua Chriſti cornua ſunt rhinocerotis. Videt quem feriat, ubi percutiat, quorſum vulneret. Fortuita plaga non eſt, cœco more non infertur, ex deſtinato & altiſſimo conſilio accidunt omnia. Quod caput eſt, cornua Chriſti medicâ vi pollent, & plurimum proſunt rectè utentibus.

V. *Bona ex malis.* At quæ bona, inquis, ex calamitate oriantur? Totidé quot à cornu

rhinocerotis, purgatio venenorum, & exinde valetudinis conservatio. Breviter illa comprehendit Augustinus libro 1. de Civit. eleganti sententiâ. *Habet familia veri Dei consolationes suas non fallaces: bonis terrenis tamquam peregrina utitur, non capitur: malis verò aut probatur, aut emendatur.* Notissimâ similitudine ad eam expurgationem, emendationemque significandam utitur Sapiens cap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit illos;* id est, electos suos Dominus malorum sensu, sicut aurifex ignibus metalla, excoxit. Addit deinde aliam non minùs congruam imaginem: *Et quasi holocausti hostiam accepit illos.* In prosperitate probus homo offert se Deo quidem, sed ferè velut hostiam pacificorum, partem sui servans sibi, commodis simul suis & obsequiis divinis intentus. At in adversitate holocausta sumus, & omnia Deo dare consuescimus, eò faciliùs, quòd nobis amarescunt, quæ antè sapuêre. Osee cap. 5. dicit Deus, *Effundam quasi aquam iram meam.* At numquid significantiùs ira divina fulmini, tempe-

tempestative, aut incendio, quàm aquæ comparetur ? Castigationem paternam hîc intellige, inquit Rupertus: *quia sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas, ita illa captivitas* Hebræorum per Assyrios *mundavit populi peccata.*

VI. *Magistra virtutis calamitas.*

Ephraim, id est frugifer, cùm in possessionibus suis quietus habitaret, bonisque affluueret, à Deo recessit. *Ephraim,* inquit Osee cap. 9. *quasi avis avolavit.* At verò captus ab hostibus, extorris, pauperie & ignominosa servitute oppressus, ad saniorem mentem reversus est, Jeremia teste cap. 31. *Audiens audivi Ephraim transmigrantem: castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Juvenculi lascivientis, & avis avolantis, columbæque seductæ instar erat Prodigus Evangelicus, quem pauperies & fames jugo assuefecêre, & ad paternam domum reduxêre. Exituris ex Ægypto Israëlitis non modò mare miraculo patuit, sed etiam visus maris alveus exhibere hortum floriferum: ita Sapiens innuit cap. 19. *In mari rubro via sine impedimento,*

& campus germinans de profundo nimio. Hæsêre nihilominus Israëlitæ dubii, an tale invitamentum sequerentur, ut notat Glossa in Psalmum 105. *Et irritaverunt ascendentes in mare rubrum.* Donec à tergo incubuit Pharao, & terrore impulit dubitantes. Prosperitate invitat suos Deus ad terram promissam: sed hærentes, & Ægypti adhuc memores, imminente & irruente à tergo Pharaone, id est, calamitate aliqua repentina urgentur, relictóque vitio transeunt ad virtutem. Ita Augustinus libro 1. contra Academicos ait, Romanianum Licentii patrem, cùm fælix esset, non auditurum fuisse, si quis eum ad æterna invitasset: nunc ad illa ultrò adspirare, miserias expertum.

VII. *Idem declaratur.* Chrysostomus homilia 62. ad populum Antiochenum, ex illâ Ecclesiastæ sententiâ cap. sept. *Melius est ire in domum luctus, quàm in domum convivii*, domos duas describit; unam, ubi nuptiæ celebrantur, alteram, ubi exequiæ. In illa ingluviem, intemperantiam, insana tripudia, verba lasciva,

alia-

aliaque ejusmodi regnare: neque enim ubicumque nuptiæ fiunt, adest semper D. Virgo, cum filio & discipulis ejus. In hac contrà spectari sobrietatem, severitatem, modestiam, verba composita, orationem, aliasque virtutes, quarum docendarum artifex optima est adversa fortuna. Daniel cap. 11. Hebræis impendentia plurima mala vaticinans: *Cadent*, inquit, *in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum.* Quo autem fine? *Ut conflentur, & eligantur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.* Itaque meritò intrepidus inter minas Lucifer Calaritanus, libro de non parcendo in Deum delinquentibus ad Constantium: *Si torques*, inquit, *magis curamur: si crucias, magis reficimur: si interficis, magis vivemus.* Erigat potiùs Christianum, quàm abjiciat calamitas, ut ait Cyprianus libro ad Demetrianum Proconsulem: *Ille mœret & deflet, si sibi malè sit in hoc sæculo, cui benè non potest esse post hoc sæculum.*

VIII. An

VIII. *Alterna fortuna.* An ergo tu calamitosos meliorem fortunam desiderare ac postulare vetueris, si tantum ex malis bonorum est? Non equidem id velim. Imò eos damno, quibus infortunia animos dejiciunt, & omnem de melioribus cogitationem præfocant: homines modicæ fidei, ignariique alternarum viarum, per quas sapientia divina suos ad alta virtutum solet perducere. Non nesciebat Sara Raguelis filia, cùm Tobiæ cap. 3. supplicabunda Deo diceret: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Experta erat Anna Samuëlis mater 1. Regum 2. quando concinuit Dominum mortificare primùm, dein vivificare. Origenes homilia 1. in illud Jeremiæ c. 1. *Constitui te, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes:* Observavimus, inquit, *in Scripturis sacris, semper ea quæ videntur tristia antè nominari, deinde quæ lætiora.* Idem notat Basilius in illud Psalmi 29. *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Ubi primùm iram audis,

dis, tum vitam: primùm indignationem, dein voluntatem, id est benignum ac pronum benefici Numinis affectum.

IX. *Recurrendum ad Deum.*

Itaque iram Dei sentis? Clementiam exspecta & vitam. In bello es? Cogita morem Providentiæ divinæ, & ad pacem aspira. Humiliaris? Cogita exaltationem. Ægrotas? Spera sanitatem: *Spera in eo, & ipse faciet*: & tum quidem maximè faciet, cum minimè fieri posse videbitur; ut numquam magis quàm rebus desperatis sperandũ sit, quod alibi ostendimus. Non audis ipsummet invitantem Psalmo 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Nescis quod Chrysostomus ait in hunc versum Psalmi 114. *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi?* Quemadmodùm mater infantulum, longiùs recedentem, exterret, aut exterrendum curat, ut revocet: ita Deum calamitate uti, ad vocandos in sinum suum homines, alioquin ad rerum inanium ludibria pueriliter sectanda aberraturos. Non meministi Ezechiæ lib. Reg. 4. cap. 18.

cap. 18. & 19. quomodò ad Deum recurrat, & coram illo literas hostiles, & simul orationem suam expandat, istud semper in animo fovens, *in Domino Deo nostro habemus fiduciam?* Non succurrit tibi exemplum Christi in horto, & in Cruce orantis, Patrémque blandissima appellatione invocantis, non autem Judicem aut Dominum: licèt ipse peccatoris personam exhiberet, ideóque supplicia nostra exsolveret, irasque & pœnas Domini contra se militantes undique contueretur.

X. *Recusat, ut det.* Oravi, inquis, & in eodem luto semper hæreo. Quiesce itaque, & mane securus, ubi te Deus posuit. Cave ejus providentiæ obmurmures. Dic cum Augustino in Psalmum 102. *Sæviat quantum vult, pater est. Sed afflixit nos, sed contrivit nos, pater est.* Benevolè sævit, misericorditer affligit, amanter conterit. Illustrissimum in eo genere est, quod D. Joanni Eleëmosynario, & civi cuipiam Alexandrino accidit. Dederat hic illi septem auri libras & dimidiam, ut filium suum annorum quindecim, cum

merc-

mercibus navigaturum, Deo commendaret. Post dies triginta nuntiatur mors filii, & mercium jactura. Perculit Joannem triste nuntium: & cum patris orbati vultum non sustineret, ex domesticis suis unum mittit, qui soletur. Sed solatia omnia respuebat doloris atrocitas. Donec visus illi in somnis Joannes, monuit, ut fletum desineret: vitam enim filii desiderasse, qui jam vitam viveret immortalem. Tam læto nuntio extersa parenti mæstitia omnis: & postridie manè ad Joannem adiit, gratiasque impensè egit. Istud in Vita D. Joannis fusiùs narratum invenies, & exscriptum apud Drexelium sub finem Gymnasii Patientiæ.

XI. *Calamitas vẽtilabrum, & torcular.* Psalmo 43. ubi nos legimus, *Dedisti nos tamquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos*, Symmachus & Aquila vertunt, *Et in gentibus ventilasti nos.* Ponderat ibi hanc vocem Ambrosius: *Sicut triticum si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est; si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit. Ita homo nisi fuerit tentationibus*

nibus ventilatus, fragilia quæque, veluti paleas, à se non potest separare. Eamdem ob caussam D. Joannes Matthæi cap. 3. Christum agricolæ vannum tenenti & agitanti comparat, *cujus ventilabrum ejus in manu ejus.* David de se & de Christo loquens Psalmo 55. *Conculcavit me homo,* inquit, *tota die impugnans tribulavit me.* Ubi id factum? In Geth urbe Palæstinæ, ut patet ex titulo Psalmi: Geth autem torcular significat. Unde piè more suo Augustinus: *Tenetur in torculari corpus Christi. Quid est in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Uva in vite integra est, pressuram non sentit, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ: sed ista injuria sterilis non est: imò si nulla injuria fieret, sterilis remaneret.* Verùm de calamitatum fructibus tum alii multi tractavêre, tum nos ipsi alibi agimus ex professo. Et verò experientia quotidiana plurimos ostendit, quibus ad meliorem ac sanctiorem vitam frustra fuerant cætera, nisi malorum incumben-

tium

tium sensus accessisset, impulissetque tergiversantes.

XII. *Exemplo ostenditur.* Unum de multis produco, quem Spondanus exhibet ad annum 1402. Hominum nemo Roberti Scotiæ Regis filium Davidem virtute informare potuerat. Voluptatum amator, prodigus, honesti omnis negligens, inverecundus vitiorum jactator, minis juxta ac blanditiis flecti nescius, monitorum omnium contemptor, verbo scurra purpuratus, spem omnem mentis melioris amiserat, nisi ingenium malis molescceret, & annis mitescceret. Itaque parens, desperatâ curatione, eum longè ab se ablegat ad patruum, propè Caledonios montes in arce semota habitantem, commendatque, ut severè cohibeatur, donec ætas animum fortè mutaverit. Patruo jucunda fuit occasio tam prompta, & obvia, explendæ ambitionis suæ, quâ regnum jampridem devorârat, obstantesque sibi filios fratris tollere aliquâ de medio statuerat. Eum igitur in arctam validamque turrim compingit, secluso

famu-

famulitio omni, appositisque circum ad portas custodibus, qui accessum prohiberent, caverentque, ne cibi potusque quidquam penetraret: sublato primogenito, fratruelium aliorum cædem sibi facilem fore, paratumque regnum, arbitratus. Ita fame enectus adolescens brevi vitam amisit: alimentorum quidquam inferre auso nemine, præter fœminas duas, puellam unam, alteram nutricem rusticanam. Illam ferunt filiam fuisse unius ex tyranni domesticis, & panis frusta, inter reticulum capitis ac crines abdita furtim ex contiguo horto, per spiramenta, in carcerem demisisse. Hæc, viâ eâdem, è mamillis lac per tubulum distillabat in os captivi. Sed utraque, paucis diebus deprehensa, extremo supplicio luit, barbarâ caritatis mercede. Destitutum auxilio omni regium Principem miserrimè periisse diceres. Sed auxilio divino carebat, nisi humano caruisset: perditus erat, nisi sic perîsset. Compedito, squalido, languenti, sordibus obsito, tenebris obruto, numen

affuit,

affuit, lumen in pectus infudit, vincula quibus animus tenebatur ostendit, vitæ anteactæ horrorem dedit, captivo corpore animam liberavit. Adeoque sua illi calamitas profuit, ut testandæ sanctimoniæ post mortem plurima miracula ad ejus tumulum, nam hunc patruus non inviderat, patrata perhibeantur: neque antè desîsse, quàm Jacobus Scotiæ Rex, minor natu frater, movit in patruum parricidam, pœnasque de facinore expetiit. Numquid tibi de eo Principe dici posse videntur verba Paullini de Melania, viduâ simul & orbâ, epist. 10. *Miser factus est, ut efficeretur beatus; percussus est, ut sanaretur?* Ita sunt filiorum Dei infortunia: seminatur calamitas, ut metatur fælicitas: infliguntur vulnera, ut firmetur sanitas.

SECTIO TERTIA.

Tertium bonæ Voluntatis officium,

A Providentia Divina in futurum pendêre, seu indifferentem esse.

I. *Quid sit indifferentia.* INdifferentiam vocamus, animi comparationem seu statum talem, ut non magis desideret divitias paupertate, nobilitatem ignobilitate, pulcritudinem deformitate, sanitatem morbo, vitam longam brevi, laudes contemptu, magnas dotes exiguis, illustres occupationes obscuris, excelsum gradum infimo. Locus hic præ altero non placeat: fælix successus negotii ante infælicem non ponatur: genus unum vitæ non eligatur præ alio, donec de Dei voluntate constiterit. Qui sic constituti sunt aptè ab Hieremia cap. 18. conferentur cum luto inter manus figuli. Et verò homines, è limo facti, in factoris arbitrio esse debent, uti argilla in manu fictoris. Isaias cap. 60. confert illos cum nubibus, quæ in aëre libratæ non aliò

ferun-

feruntur, quàm quò ventus impellit: *qui sunt hi, qui ut nubes volant?* Similes sunt instrumento, quod operi admovetur, quiescit, deteritur, situ rubiginem contrahit, prout visum opifici. Jumento similes, cujus non refert, qualem sarcinam gestet, aureámne an plumbeam: *ut jumentum ego sum apud te, & ego semper tecum.* Similes ovi, cujus propensio ad pascua pendet à ductu pastoris, qui regit & nihil deerit. Similes Evangelicis vinitoribus, quorum nihil intererat, foderéntne, an pastinarent, putaréntve, aut fulcirent vites, vel rigarent: ad quidvis parati, dum conductori suo satisfieret.

II. *Gratissima hominibus.* Gratissimam Deo esse hujusmodi indifferentiam, facilè ex nobis ipsis intelligemus. Hero ciupiam servi duo sunt. Unus cessare nescius, in omnia familiæ commoda intentus, nec diligentiæ parcens, nec labori: at ubi ab hero aliquid præter mentem suam facere jubetur, vix temperat ab obmurmuratione, difficulter saltem & obnitens

obnitens obtemperat. Alter non adeò velox est in opere suo, neque ultrò ad heri obsequium tam multa aggreditur: at ubi mentem ipsius intellexit, eò protinùs advolat absque ulla tergiversatione. Uter eorum servorum hero gratior est? Dubitari, inquis, non potest: dominis enim ex eorum voluntate, non suâ, famulandum est, figereque sibi hanc legem debet quisquis in famulatum concedit, arbitrio deinceps herili vivendum esse. Ita & inter milites res habet: ubi non is pluris fit, qui sæpiùs in hostem excurrit & pugnat, sed qui stationem sibi designatam tuetur, & à ducis sui imperiis perpetuò pendet: uti Evangelicus ille miles ac servus, cui cùm dicitur *vade, vadit; fac hoc, facit.* Indoctus eques laudabit equum generosum, tenêri ac quiescere nescium, qui ubi tuba insonuerit evolare gestit, & si prohibetur, impatiens moræ fræna ferox spumantia mandit: qualem fere habes descriptum Jobi cap. 39. At doctus domitor qualemcumque equum non magni faciet, donec non calcari modò aut

aut virgæ, sed & sibilo ac poppysmo obtemperet: donec ad minimum sessoris nutum eat, recedat, excurrat, subsultet, transiliat, in omnem sese motum agitationemque efformet.

III. *Et Deo.* Tales sibi Deus homines expetit, quibus obedientiæ securus dicere possit: *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.* Quos in navim conjiciat, & *claudat à foris ostium*, quomodò factum Noëmo, ut à Dei voluntate totus pendêret, ingressúsque ipsius jussu, egredi injussu nequiret. Fulgurum emissiones poëticâ paraphrasi describens Deus, Jobi cap. 38. *Nonne*, ait, *mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent, Adsumus?* Ita viri boni eant, sed nonnisi quò mittuntur, dicantque, *Ecce ego, mitte me.* Pingi solent Seraphini, extentis utrimque alis, velut ad evolandum parati, quò jusserit Dominus. Sic amantes divini obsequii homines non evolent, sed volare parati sint, quando Deus voluerit. Hoc, opinor, Franciscus Sales Gebennensis Episcopus

de se scribebat sub vitæ finem, *Pauca volo, & quod volo, parum volo.*

IV. *Perfectio virtutis inde pendet.* Joannis cap. 24. dicebat Christus Petro: *Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, alius cinget te.* Minùs in virtute provecti, quò volunt, ad bona opera ambulant: at provectiores & perfectiores ea faciunt & patiuntur, quæ Deus vult. P. Jacobus Laines, vir magnus è Societate nostra, aliquando cum D. Ignatio, cui in cura Societatis totius successit, familiariter colloquens, fassus est ingenuè, magna sibi esse desideria profectionis in Indias, ad conversionem Infidelium, & propagandum Christi nomen. Cui Ignatius: at ego, inquit, si istiusmodi propensiones sentirem, non antè desisterem, quàm penitùs extirpatæ essent, & voluntas mea penderet bilancis instar in æquilibrio. Architectus peritus in area laxa facillimè designârit insigne domicilium: at ubi intra angustias arctatur, neque aream capacem nactus est, spatium non habet explican-

dæ

dæ arti & magnificentiæ. Statuarius sculptor, si rectum & innode lignum habet, quamlibet illi figuram facilè daturus est; secùs si nodosum & curvum. Ita si pectus humanum privatis cupiditatibus non arctetur, si nodosis desideriis non obdurescat, gratiæque architectanti & sculpenti non resistat, existet insigne domicilium virtutum, & perfecta divinæ sanctimoniæ imago.

V. *Necessitas ejus status.* Peremptoria ratio, cur eò indifferentiæ venire debeamus, est necessitas eligendæ ad salutem viæ & adminiculorum. Ignorantes autem sumus rerum ipsi nostrarum, nec satis dispicimus, quid in præsens futurúmve, nobis expediat. Itaque si desideria nostra sequamur, cæcum sequemur: *cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hinc illud celebre Matth. cap. 20. dictum à Christo filiis Zebedæi, plerumque filiis hominum multa concupiscentibus, vana molientibus, aptari potest: *Nescitis, quid petatis.* B. Franciscus Borgia, ægrotante Leonorâ lectissimâ

mâ fæminâ, conjuge suâ, quîcum annos totos octodecim in summa conjunctione vixerat, ad precandum Deum conversus, toto animo sanitatem ipsius postulabat. Cùm ecce visus sibi audire intus dicentem Deum: si quidem velle pergis, ut uxor convalescat, mox fecero, sed tibi non expedit. Ad eam cogitationem, represso statim desiderio uxoris conservandæ, totum se divinæ voluntati, repetitis iterum atque iterum resignationis actibus, permisit, his ferè verbis: *Quis enim rectiùs novit, quid è re mea sit, quàm tu mî Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Ait vitæ scriptor, notatum, ab ea resignatione ægram sensim ad extrema delapsam, & paullò pòst mortuam, marito libertatem amplectendæ perfectioris vitæ reliquisse: cùm antè, sanitatem ejus petente Borgia, morbus dubio exitu pendêret.

VI. *Exercitium.* O quot modò reperiantur, quibus inter vota sua & desideria dici queat: *Tibi non expedit?* Dignitates exoptas, favores ambis, tibi non expedit. Divitiarum avidus es, possessio-

nes

nes & amplam familiam cupis, tibi non expedit. Deo te permitte si sapis, omnia scienti, bona volenti. Dic cum Borgia: *Quis enim melius novit, quid è re mea sit, quàm tu mî Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Dic piè cum Lanspergio in Enchiridio militis Christiani: *Misericordissime IESV, optime Domine, non potest quod tu vis esse malum, sed ordinatissimum sit necesse est, quidquid à te procedit. Si me vis habere infirmum, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis habere sanum, sit æquè nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis mori, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis vivere, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua.* Scribe, & dic sæpiùs, quod singulis diebus manè & vespere iterabat Episcopi Gebennensis Francisci discipula, Philothea Fremiota, primâ parte Vitæ cap. 23. *Domine, nolo mihi deinceps optionem ullam: percute quamlibet chordam lyræ meæ semper, & in æternum; non alia, quàm tetigeris, resonabit. Ita Domine IESV: sine si, sine sed, sine exceptione ulla, fiat voluntas*

tua, de patre meo, de liberis, de omnibus rebus, & de meipsa.

VII. *Modus eò veniendi.* Siccine verò, inquis, ego loqui ex animo possim? Hominem exuisse oporteat, corpore exîsse, naturam mutasse. Non horream dura magis, quàm mollia? Non averser potiùs dedecorosa, quàm honorifica? Non appetam ardentiùs jucunda, quàm amara? Id Angeli faciant, expertes materiæ: quamquam & ipsis sua ad gloriam magis, quàm ad dedecus, propensio fuit. Quid enim dedecoris fugiendi metu facerent, qui majoris gloriæ quàm oportuit, cupiditate peccarunt? Homines vis esse ad omnia indifferentes, cùm id etiam Angelis difficillimum fuerit? Angelos dicis, quos malos Dæmones dicere debueras: ideò malos Dæmones, quia propriæ voluntati, non divinæ, obsecuti sunt. Istud est, quod ex Bernardo toties occinitur: *Tolle voluntatem propriam, & infernus non erit.* Sed ad eam, quam exaggeras, difficultatem, aut tollendam penitùs, aut maxima sui parte minuendam, conare, quod intelli-

intelligenti difficile non erit, bona caduca & mala ipsis opposita contemnere. Non dubito, quin experiare, quotiescumque libripendem voluntatis deorsum aliquid trahit, proficisci vel ex immodica cupiditate bonorum, vel à nimio metu malorum.

VIII. *Fugacitas bonorum temporalium.*

Quid autem habent caduca bona dignum amoribus nostris? Tenuia instar umbræ, levia instar venti, fugacia instar diei: nomen pictæ non veræ fælicitatis. Vitro eleganter comparabat Publius Mimus: *Fortuna vitrea est, tunc, cùm splendet, frangitur.* Placuit hæc similitudo D. Augustino, eam variis locis repetenti. Quamquam homilia 28. ostendit fragiliorem vel ipso vitro esse fortunam: aliquando enim nepotes & pronepotes in avorum & proavorum calicibus bibere, cùm tamen avorum & proavorum fortuna perierit. Aptissimè somniis comparabat Philo libro de Joseph, ubi dicit; *hominem* sapientem, seu ut ipse loquitur, *civilem esse debere somniorum interpretem, id est maximi*

& perpetui somnii humanæ vitæ: & quomodò ridendus sit, qui somniorum suorum visis aut turbetur aut exhilarescat: ita vanum esse, quem fugacia mala bonáve contrariis motibus nimiùm exagitent. Eodem sensu, breviter ac scitè, vocata est Guilielmo Parisiensi, libro de legibus cap. 8. fortuna omnis humana, *Fælicitas somnialis*: ab alio, *bracteata fælicitas.* A Sapiente, *Fascinatio nugacitatis*, Sapien. cap. 4. A D. Joanne Apoc. 14 *poma desiderii*, manum fallentia, & hiantis os subito discessu eludentia.

IX. *Vilitas.* *Evaporata momenta libidinum* eleganter Seneca dicebat: eodem modò dicas momenta favorum, momenta opum, momenta dignitatum. Libro Regum 4. cap. 9. ungitur Jehu in Regem: proceres circumstantes, cùm ludibrio id fieri putarent, mox tamen, mutatâ cælitùs voluntate, ludum in serium vertêre, & Regem acclamavêre, substraveruntque ipsi pallia sua, *in similitudinem tribunalis.* Chaldæus habet, *ad gradum horarum*: id est, propè solare horologium; cujus umbrâ

umbrâ scilicet Rex novus admoneretur, horariam esse ac momentaneam fælicitatem suam. Adde & vilem ac terream, cùm ad gradum Solo imminentem, non autem in loco eminenti, collocetur: ut abjectissimo cuique, & impiissimo, atque insipientissimo illuc aspirare liceat; & probos plerumque, ac sapientes, opibus, favore, dignitatibus prævenire. Id ipsum coturnicibus, in avidorum Israëlitarum castra involantibus, adumbratum, putat Drogo Ostiensis, sic Deum orans: *Ne pluas super nos coturnices, Domine, desideria carnis nostræ, quæ nonnisi duobus cubitis levantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus Sancti.* Imò non tantùm non levantur à terra supra cubitos duos, sed etiam in terram incumbunt: ut fælicitatis temporalis benedictio videatur eadem esse, ac maledictio serpentis, Genesis cap. 3. *Super pectus gradieris, & terram comedes.* Certè eò respexisse videtur D. Basilius, cùm, epistolâ ad Monachum lapsum vocavit honores, adulationem, aliáque frivola, χαμαιῤῥεπὴς δοξάριον,

Humirêpam gloriolam, & ad ima vergentem. Auguſtinus libro Conf. 1. cap. 9. confert ludis puerilibus, ob quos ſe vapulaſſe puerum narrat, ridente patre: *majorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cùm ſint, puniuntur à majoribus, & nemo miſeratur pueros, vel illos, vel utroſque.*

Voluntatis æquilibrium.

X. Iſthæc, aliáque in eamdem ſententiam, paſſim experientiæ & cogitationi quotidianæ occurrentia, cùm expenderis, facillimum tibi fuerit, immodicum erga res tam caducas & viles amorem præſcindere. Quod ſi feceris, eâdem operâ voluntatem tuam ad æquilibrium reduxeris, & conſtitueris in ſtatu indifferentiæ. *Amor* enim *tuus, pondus tuum.* Hoc pondere preſſa bilanx vergit in eam partem, quò amor fertur. Præterea, cùm bonorum temporalium amori modum adhibueris, ſimul malorum timorem immoderatum repreſſeris. Neque enim mala niſi catenus formidantur, quatenus bonis amatis oppoſita ſunt. Mortem nimiùm extimeſcis? Vitam ſcilicet immo-

immoderatè amas. Exhorres ad infamiæ, paupertatis, inimicitiarum imaginem? Quia videlicet famæ, opum, favoris nimiùm appetens es. Hecatonis illud, à Seneca celebratum, veriſſimum eſt: *Deſines timere, cùm ſperare deſieris*, & concupiſcere.

XI. *Aliud ad illam ſubſidium indicatur.* Poſſet addi & aliud indifferentiæ comparandæ ſubſidium, ex malorum, quæcumque humanæ conditioni occurrere poſſunt, ſeriâ & forti præcogitatione, *Niſi, enim quidquid fieri poteſt pro futuro habes, das in te vires rebus adverſis, quas infregit, quiprior vidit.* Quomodò aiunt, crocodilo adversùs audacter occurrentes animum non eſſe, cùm in fugientes ferociſſimè incurrat. Hinc Chriſtus ſæpè diſcipulos de Paſſione ſua præmonere ſolitus, ut venientem cò minùs horrerent, quò ſæpiùs cogitaſſent venturam. Sed tum alii ea de præmeditatione multa dixerunt: tum nos etiam aliquid in Machabæorum geſtis, ubi Eleazeri ultrò elephantem Regium incurrentis, & Jonathæ ad hoſtem laceſ-

sendum transvadantis, aut tranantis potiùs, egregia facinora narrantur. Nunc post expositas tres virtutes, quas Providentiæ divinæ debemus, totidem illis excolendis & firmandis adjumenta proponenda sunt.



PARS TERTIA.

Adjumenta bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Adjumentum primum,

Consideratio modi, quo agit Providentia, ut nostra omnia illi permittamus.

I. *Quid Providentia?* SUBTILIOR Theologia, quæ res divinas, quantum mortali fas est, comparatione cum rebus nostris assequi conatur, inter alias de Providentia divina quæstiones & hanc proponit: in quonam actu propriè sita sit, Intellectûs, an Voluntatis? Voluntatem mavult Damascenus, quia Providentia cura est: benevolentia autem imperat curam, & satagit. Si ergo cura est à voluntate, & Providentia cura est, Providentia utique est fœtus voluntatis. Intellectum mavult Angelicus Doctor, ex defini-

definitione communi, quòd Providentia sit *Ratio ordinis in finem:* ratio autem est in intellectu, ipséve intellectus. Recepta passim sententia decidit, utrumque actum comprehendi: intelligentiam tamen præcipuè, quia Providentia est scientia practica, diciturque velut Porrovidentia, & est pars prudẽtiæ. Possimus magis ad vulgi captum dicere, Providentiam aliud nil esse, quàm Bonitatem & Justitiam omnia scientem, & Potentiâ infinitâ utentem ad fines suos.

Quatuor ejus vultus, ac primùm bonitas.

II. En igitur quatuor velut vultus Providentiæ divinæ, quos qui attentè inspexerit, non difficulter Resignationem, ac Fiduciam, & Indifferentiam amplectetur. Misericordiæ & Bonitatis argumenta certissima ab ipsis hujus tractatus fundamentis vidimus, eruta ex sinu divinitatis, ac naturâ summi boni, quod necesse est, ut bonum & benè velit. Consequens esto: quidquid nobis inde acciderit, exosculandam ejus manum, velut medici salutarem, aut benignissimam patris. Ne simus ex

eorum

eorum cœtu, de quibus Prosper conqueritur libro de Providentia,

Cúmque Deus medicã à cælo dèmittere curam
Dignatur, penitúsque putres abscindere fibras:
Incusamus opem teneri, & tabescere morbo
Malumus, antidoti quàm vim tolerare severi.
Non igitur mala sunt, quia nos mala ducimus,
& cùm
Vlceribus diris non parcit dextra Tonantis,
Amplectẽda manus, non exacuenda querela est.

In eamdem sententiam Augustinus ep. 50. ad Bonif. *Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo: sed ambo diligendo.* De hac paterna Dei bonitate intuenda, plusculum aliquid dicemus ad calcem sectionis.

III. *Altera ejus facies Iustitia.* Justitiæ divinæ severior quidem, non tamen minùs aspectabilis facies est. Cõstat enim, cùm justus sit, justè ab illo omnia disponi, ut loquitur Sapiens cap. 12. ac justificari illum in sermonibus suis, & vincere cùm judicatur, appareréque æquissimas suppliciorum quorumvis rationes, ut canebat Psalmista

pœni-

pœnitens Psal. 50. Unde necessariò consequitur, Justitiæ divinæ in quibusvis eventis acquiescendum. Nam citra injustitiam justitiæ obmurmurari non potest: estque certissima impietatis nota, & damnationis præjudicium, quæ Deus fecit non probare. Ita disputat Augustinus, de verâ religione cap. 22. *Universitatis hujus conditio, atque administratio, solis impiis animis, damnatisque non placet: sed etiam omnibus sanctis cum miseria earum, multisque vel in terra victricibus, vel in cælo sine periculo spectantibus, placet. Nihil enim justum displicet justo.*

IV. *Justus Deus, etiam utens injustis.*

Nec dicas, Justum quidem Deum esse, sed instrumenta quibus utitur injusta: adeoque non posse te acquiescere suppliciis, manu illorum illatis. Si enim compescendæ isti querimoniæ antè à nobis dicta non sufficiunt: occurret Augustinus libro de Civit. Dei 22. cap. 102. *Multa fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei: sed tanta est ille sapientiæ, tantæque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos & justos ille præscivit,*

vit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa. Et disertiùs atque expressiùs quæstione 79. in Exodum: *In uno eodémque facto, & Deus de occultâ æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur.* Item in Psalmum 61. *Vide quid tibi fecerit iniquus, quid justus. Ille voluit, iste permisit. Ille injustè voluit, iste justè permisit. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur.* Deus per moribundum Mosen Deut. 32. minas intentans populo suo, ob peccata prævisa & certò futura: *Congregabo*, inquit, *super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* Ita erga nos agit: posuit nos velut scopum sagittationi suæ, arcum tetendit & paravit illum, sagittas suas ardentibus hominum malevolorum odiis effecit. Deus sagittarius est, arcus justitia, missile verba factáve injusta, ab hominibus malæ voluntatis profecta. Quid plagæ indignamur, quid conquerimur de missili, & mittentem non intuemur? Aprorum hoc est, in sagittas & venabula cuti suæ infixa frendentium, & despumantium, dexteram venatoris te-

la vi-

la vibrantis non adspicientium. Quis sapiens reus altercetur, & sæviat in carnificem, sententiæ Judicis exactè obtemperantem? Quin illi potius pecuniam numerari jubeat, ut D. Cyprianum securi feriendum lictori suo fecisse, Pontius refert. Carnifices nostri sint malæ hominum voluntates, famam lanient, honorem concîdant, opes concerpant, nos & nostra quà possunt excarnificent: bilis tamen in illos evomenda non est: quandoquidem nîl agere possint, nisi ex supremi Judicis præscripto.

Et Iustitiæ acquiescendum.

V. De Dei manu adspicienda, etiam ubi manibus improborum utitur, satis diximus Partis alterius Sectione prima. Interim ad eventa quælibet, seu Saül invideat, sive Absalon rebellet, seu Semei convitietur, assuescamus dicere cum Davide Psalmo 118. *Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Quæ verba identidem repetebant Hippone obsessi per Vandalos Episcopi Africani cum Augustino, uti narrat Possidius cap. 28. Vitæ D. Augustini. Eadem

in ore habuit Mauritius Imperator, à Phoca gregario nuper milite captus, spectaréque coactus carnificinam liberorum, constantiâ in tam tætro spectaculo prorsùs admirabili, apud Baronium anno 602. Neque absimilia iteravit Pharao prodigiis conterritus, & plagis tantisper edomitus Exodi cap. 9. *Peccavi etiam nunc: Dominus justus, ego & populus meus impii.* Sed quia cogitationi isti, ac confessioni, seriam pœnitentiam non adjunxit, frustra fuêre voces in speciem piæ. Nos & agnoscamus Justitiam divinam, & suppliciis acquiescamus, & clementiam pœnitendo demereamur.

VI. *Potentia tertius. Providentiæ diuinæ vultus.* Nec difficulter Justitiæ divinæ decernenti stabit, qui decreta sua efficacissimè exequentem contemplabitur, potentiamque ejus agnoscet & expendet. Neque enim ignorabit, sese velut reum convictum & damnatum esse inter satellitum manus, quas si sequi noluerit, iuvitus ac renitens trahetur. Christiano sufficiunt hæc verba ex cap. 49. Isaiæ: *Ego sum Deus, & non est*

est ultra Deus ... Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Item illa cap. 14. *Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes Gentes. Dominus enim exercituum decrevit, & quis potest infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet eam?* Adde tamen ista Augustini cap. 102. Enchiridii. *Quantælibet sint voluntates vel Angelorum, vel hominum; vel bonorum, vel malorum; vel illud quod vult Deus, vel aliud volentes quàm Deus, Omnipotentis voluntas Dei semper invicta est.* Expende etiam isthæc Senecæ planè Christiana, libro de Vita beata: *Ad hoc Sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Insaniat, qui navi ad scopulum religata, funem trahendo & contendendo existimet fore, ut scopulum adducat ad navim, navim potiùs allisurus ad scopulum. Immobilem & invictam Dei potentiam ad te, ô homo, trahere non potes; duci te sine: &, quod Publius Mimus non mimicè pronuntiavit, *Feras, non*

culpes.

culpes, quod vitari non potest: nec ventis ac fluctibus irascere, cùm navigas. Pessimus scriptor Lucianus, non malè tamen Anthologiæ Epigr. lib. 1.

Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανάκλεις,
Καὶ σάυλον λύπεις, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

Latinè reddi tam eleganter non potest: sententia tamen hæc est. *Si fatum*, quod utique aliud non est quàm divina Providentia, uti aliàs diximus: *Si* ergo *fatum te fert, feras, & patiare ut feraris. Si autem indignaris, ipse tibi molestus es, & fatum nihilominùs te rapiet.*

VII. *Quid Domino debeamus.* Necessitatem hanc obsequendi divinæ Potentiæ novâ imagine pingamus. Potest Providentia divina cogitari & adspici, ut Dominus supremus, qui nobis imperet: aut velut Sapiens ductor, qui nobis præeat: aut sicut optimus Pater-familias, qui domum regat. Ergo ipsi resistere non possumus, quia dominus est: neque, ut possemus & fas foret, resistere tamen debemus, quia dux & pater est. Dominica & Regia edicta

edicta in variis regionibus claudi verbis hisce, aut similibus, solent: *Sic placet: Ea voluntas nostra est.* Quæ verba ubi fidelis subditus boni Principis legit, protinùs acquiescit, nec de ratione legum edictorúmve quærenda solicitus est: non nescius consilium & imperium Domini rem esse, obsequium & obedientiam subditi. Monet Ecclesiasticus cap. 4. *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Quid enim adverso torrenti te opponens lucrabere, quàm laborem, & spumeam asperginem, forsan & submersionis periculum? Jehu, libro Regum 4. cap. 10. Rex Israëlis creatus, rem à Samaritis durissimam postulat: responsum tamen, *Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, quæcumque tibi placent fac.* Astyagen Medum narrant, noxæ nescio cui barbarico more puniendæ, epulandas Harpalo filii carnes apposuisse, & benè pasto inferri jussisse caput, ac petiisse, ecquid ipsi carnes filii sapuissent: Harpalum fœdâ adulatione dixisse: Quidquid facit Rex, illud mihi perplacet. Adeóne te hominem

minem & patrem oblitus es, ut humanos ipsiúsque filii tui artus, viscéribus tuis ingestos cum stomacho luctari dissimules, in lupi illius ac tygridis gratiam? Sed an tu, inquit, nescis qualemcumque illum, Regem tamen meum & Dominum esse, nec mihi quidquam adversùs illum licere?

VIII. *Potestati cedendū.* Regulis istis terrarum quæ potestas, præ omnipotentia illius, *cui*, ut Theodoretus ait Oratione prima de Providentia, *non servorum calamitas, sed natura ipsa dominium dedit?* Quem non favor subditorum, non fortunæ vicissitudo, non armorum vis extulit: sed ipsa naturæ suæ magnitudinisque necessitas, ut si omnia non creasset, dominus tamen omnium esset, ob infinitatis suæ supra res omnes eminentiam. Quidni ergo *omnia, quæcumque voluit, faciat in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis?* Quidni dicamus ipsi ex animo: *Servi tui sumus, quæcumque jusseris, faciemus, quæcumque tibi placent, fac?* Ingrederis fortè in benè ordinatam aliquam viri principis domum, ubi famuli œconomo,

œcono-

œconomus hero, ut par est, obtemperare consueverint. Vides in aula luculentum ignem, œconomumque audis famulo dicentem: Heus tu an bos hodie assandus est, quòd tantum ligni exuritur? At, inquit famulus, ita hero placitum. Audito heri nomine, protinùs prudens & moriger œconomus conticet. Quotidianum istud est, etiam in privatis domibus: ubi sapientes matronæ ancillularum & liberorum facta reprehendere non audent, etsi in speciem mala, quia sic maritus jussit, ut in simili argumento notat Drexelius. Intras in domum Universi, sub Patrefamilias Deo ordinatissimam: oculis objiciuntur incendia urbium & provinciarum, bellis, aliisque publicis calamitatibus ardentium: spectas prostratos lue horrendâ populos, grandine obrutas segetes, fame semineces nationes. Interrogare velis bellum, famem, tempestatem, quid hîc agitis? Famuli, inquiunt, & ancillulæ sumus, hero nostro Deo obtemperamus: tu mi homo saltem æquè deferas Deo, ut œconomus hero, aut uxor marito.

Illustriss-

Illustrissima sunt, in ea dominatûs divini consideratione, verba Heli, libro Reg. 1. cap. 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Pondera singula verba, in quibus summa resignationis, & causſa, motivúmve continetur. Et ut magis mirêre, attende, quâ occasione prolata sint: quando mors liberorum, familiæque universæ æternum dedecus, cum acerbissima exprobratione denuntiabatur. Perpendi etiam poterunt ista Psalmistæ ps. 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti:* Tu Domine universorum, tu Potentia ineluctabilis, cui nec potest resisti, nec debet.

IX. *Dei Sapientia, vultus Prouidentiæ quartus.* Tu Sapientia immensa, quæ in consiliorum tuorum dispositione aberrare nequis, & de qua ratione decretorum suorum exquirere insanissimum foret. *Consilium Deo tribuamus,* inquit Augustinus epist. 49. ad Deo gratias, ad quæstionem secundam, *nobis obedientiam teneamus.* Dedisti te in disciplinam magni alicujus viri: certus, opinor, ipsius monitis audiens esse, stare

consiliis, jussis obsequi. Ita nobilissimus adolescens Lambertus sub Divorum Landoaldi & Theodardi ductu meliorem vitam auspicatus est. Suasêre, ut scientias divinas potiùs, quàm humanas excoleret: ostendêre iter ad virtutem excelsius, in abdicatione largarum opum, & dignitatum sese ultrò ingerentium. Statim acquievit, quia id apud se statuerat, à sapientissimis viris, & divinarum rerum consultis regi se sinere. Incedis fortè per viam ignotam, per Alpes aut Pyrenæum: si fapis, ducem adsciscis gnarum itinerum quempiam, de cujus probitate non dubites. Ducat te hic per calles angustos & salebrosos, per tortuosos anfractus, per horrida rupium cacumina, è quibus nubes despectes, & profundarum vallium tenebrosas voragines. Veniat tibi forsan in mentem dicere ductori: O bone, per quas semitas circumducimur? Nonne ad dexteram prata video? Nonne ad sinistram planiores & rectiores viæ apparent? Sed cùm tibi ductor responderit: sine quantisper, centies hæc itinera emensus sum

sum, nullum mihi diverticulum non cognitum est. Si ad isthæc prata divertamus, placétne tibi in latronum gladios incurrere? Si ad lævam deflectamus, velísne in præcipitia ruere? Simul hæc à ductore audieris, acquiescès, damnabisque ipse cogitationes tuas: aut, si obgannire perges, meritò ductui tuo solus relinquêris. Ductori probo & perito fidendum est, non fidetur ducenti Deo? Non dicetur cum Jeremia Propheta cap. 17. *Non sum turbatus, te pastorem sequens?* Non iterabitur illud Cleanthis, Senecæ, & Epicteti:

Duc me pater, summíque moderator poli,
Quacumque placuit, nulla parendi est mora.

Deus, choragus.

X. Audivimus Partis I. sect. I. ex Philosopho, Deum choragi instar esse, Imperatorísve, aut Navarchi. Idithun, Asaph, Heman, psaltæ Davidici, musicam scribant, distribuantque partes suas cantoribus singulis: horum nemo, opinor, tam erit amûsus & insulsus, ut magistri compositionem reprehendat. Si quis audeat, ut è choro

non ejiciatur, hoc saltem audire merebitur: canta puer, nec de harmonia ex unius parte judica: tu quod tuum est præstiteris, & alii pariter, non poterit non suavissimus concentus exsistere. In hodierno publicarum ac privatarum rerum concentu dubitari non debet, quin toni non pauci duriusculi sint, multis ut vocamus suspiriis interrupti, multis diesibus fracti, multis notarum nigrarum colligationibus fusi. Hîc Dorico tono, illîc Jonico, alibi Lydio locus suus est. Numerus nunc citatus, nunc lentus; seu mensura nunc tripla, nunc communis, percutitur. Tu tamen, quisquis es, cave obmurmures: canta solùm, aut tace, ubi musicæ magister voluerit: dulcissimam harmoniam si nondum capis, aliquando tamen intelliges.

XI. *Imperator, & navarchus.* Gregario militi sub Imperatore Machabæo numquam in mentem venisset inquirere, cur in fronte cohortes illæ collocarentur, cur aliæ in cornibus, aliæ in auxiliis: aut cogitationi nascenti statim ipse occurrisset, dixisset-

dixisſetque ſibi, ſub ſapientiſſimo & expertiſſimo duce militamus: diſponat ipſe, nos ſequamur: ſi milites officio non deſint, ſpes victoriæ certa eſt. Vectorum impudentium foret, ſcienti ac probo navarcho obloqui, & nunc expanſa vela, nunc contracta, reprehendere: nunc obliquam navigationem, nunc rectam incuſare: de velocitate modò, modò de tarditate conqueri. Novit ille ſinûs & ſcopulos, ac vada latentia, & quâ arte vitentur: vectori quieſcendum eſt. Quid de Imperatore & Navarcho loquimur? Pictorem in officina ſua, imò fabrum ferrarium, reprehendere auſit oculatus nemo: & tu audeas *reprehendere in hoc mundo Deum?* Horret animus cùm ſacrilegas voces, ſi tamen voces, meminit, aſtronomi & Regis, nominari indigni, quando ſic locutus eſt. Spondanus Annalium Eccleſiaſticorum Continuator, ad annum 1282. perhibet, ſæpiùs auditum dicere: ſi à Deo adhibitus fuiſſet, ad Univerſi creandi conſilium, futurum fuiſſe, ut nonnulla meliùs ordinatiusque conderentur.

Quis ad horrenda illa non verba, sed murmura, non exclamet, quod Hilarius libro contra Constantium Augustum, in re non longè absimili: *O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt! Hæc de Deo ab homine dici?* Túne capacissimæ illi, & illuminatissimæ, & omniscię menti, præfidens ingeniolo tuo animula, obloquare? Tu summi artificis opus carpere aut sugillare audeas? *Quis enim*, non jam animalculorum & homuncionum humi repentium, sed Cherubinorum & Seraphinorum supra cælos evolantium, *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

XII. *A Deo non petendum, Cur?*

Serpentinum & diabolicum vocabulum est *Cur*, à Satana usurpatum, quando homicida fuit ab initio. *Cur*, inquit Genesis cap. 3. *præcepit vobis Deus?* Petiissèt saltem, Cur de ligni istius fructu non comeditis? In promptu erat responsum, non comedimus, quia prohibitum nobis est: sed interrogare maluit mandati causam, *cur Deus præceperit*, cur ita constitutum, quæ denique

denique ratio vetandi? Sapuerant fœmina & maritus, si respondissent: de Deo petandum non est, Cur aliquid faciat, cur permittat? Cur hic pauper, ille dives? Cur mali bonis permisti? Cur mali floreant, boni laborent? Decretorum istorum divinorum rationes etsi aliquas scimus, & locis suis reddere conamur, edemusque Deo propitio in Commentariis ad Machahæorum libros: ultima tamen ratio hæc est, nullam à summa Sapientia rationem peti debere. *Non* enim *est*, ut inquit Sapiens Proverb. cap. 21. *sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sapientis pater libro 3. Regum cap. 16. expulsus è civitate Regia, &, ad infortunii cumulum, probris ac maledictis ab impotente homine proscissus, hac una cogitatione sese solabatur, à Deo eam sibi pœnam, quamvis improborum ministerio, infligi, *Et quis audeat dicere, Quare sic fecerit?* Idem nos ad singula eventa ingeminare consuescamus.

XIII. *Petendum, quod Deus vult.*

D. Auguſtinus jam ſenex & occupatiſſimus, cùm rogatus eſſet à Quod-vult-Deo Diacono Carthaginenſi, ut librum de Hæreſibus ſcriberet, ſic eum in Præfatione ſua alloquitur: *In ipſa moleſta inſtantia tua, etiam tuum nomen attendi, & dixi: Aggrediar, & faciam, quod vult Deus.* Faciamus & nos, & patiamur quod vult Deus: quia Dominus eſt, cui rebellare refractarii eſt: quia ſapientiſſimus ductor, quem ſequi nolle extremæ dementiæ eſt: maximè, quia ſuaviſſimus pater, cui non acquieſcere, alienum à natura eſt. Patrem cogitabat Chryſoſtomus, cùm, quam habuit concionem proficiſcens in exilium, ab his vocibus cæpit, *Benedictus Deus*: ab iiſdem vocibus orſus, quam dixit rediens ab exilio. Ab eadem cogitatione Bernardus omnes fermè Sermones in Cantica hâc formulâ clauſit, *Benedictus Dominus.*

XIV. *Standum est medico, & patri.*

Quoties viſi pueruli medicamenta horrere, quando ab ancilla propinabantur: Sorbere eadem generosè à manu patris, aut matris?

Facia-

Faciamus, cum B. Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi, ægrotantem expertiſſimi medici filiam unicam. Cariſſimus pater optionem dat medicinæ cujuſlibet, & curationis: artem omnem ſuam, & induſtriam, propenſioni infirmitative ejus paratus accommodare, ſi voluerit. At ægra, quâ par eſt erga patrem & medicum obſervantiâ & fiduciâ: enimverò, inquit, eligere meum non eſt; ſumere, quod dederis, meum eſt: neque enim neſcio quis ſis, quantum experientiâ valeas, quantum me ames. Ab ingenio iſto, & manu, nihil niſi ſalutare exſpecto. Decerne itaque, ut voles, nihil enim aliud quidquam mihi velle ſtatutum eſt. Eumdem in modum de optima & miſericordiſſima Dei manu, in adverſis juxtà ac proſperis, cuivis homini cordato ſentiendum ac loquendum.

XV. *Ejus cogitationis ſuavitas.*

Qui Dei ſapientiam eventa omnia diſponentem attendit, ac reveretur, diſcipuli inſtar eſt ſapienti doctori contradicere non audentis, & Pythagoræo ſilentio magiſtri

scita sententiásque venerantis. Qui Potentiam agentem contemplatur, & ducentem trahentémve subsequitur, velut dominum habet, contra quem hiscere tutum non est. Qui Justitiæ acquiescit, intuetur sicut Judicem reus confitens, ac tremens dicit, quod Eliu à Jobo volebat exprimere cap. 33. *Peccavi, & verè deliqui, & ut dignus eram non recepi.* At qui Misericordiam & Bonitatem Dei adspicit, habet illum instar amabilissimi patris, & cum Seneca epist. 98. damnis, vulneribus, mortibus incurrentibus, amat Providentiam divinam, sibique ipse identidem ingeminat: *Non pareo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor.* Quid Christianum magis, quid sanctius ac sublimius, rationique simul ac fidei magis consonum, ex ore Christiani ullius audiamus?

XVI. *Et sanctitas.* Ezechias Rex sanctissimus, libro 4. Regum cap. 20. ad tristem Isaiæ, de posterorum suorum dedecorosa captivitate, denuntiationem: *Bonus*, inquit, *sermo Domini, quem loçutus*

locutus est. Sic D. Catharina Genuensis ad malorum quorumvis sensum solita iterare, *Grata venerit calamitas ab amabili Dei manu.* Ita D. Josephus, teste D. Birgittâ, ubique ac semper ingeminare consuêrat: *fiat quod Deo placuerit.* Sic fidelissima & obedientissima ancilla Domini, filiáque, & mater D. Virgo, in Annuntiationis Dominicæ gloria, & Passionis ignominiosæ tormentis, pariter ex animi sententia pronuntiavit, ô Deus, *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sic Christus, Matthæi cap. 11. de reprobatione quorumdam, quos tamen, ut homines ad Dei imaginem conditos non amare nequibat, Deum laudans: *Ita*, inquit, *Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Non utitur appellatione Judicis, æquissimam in ea reprobatione pro meritis ferentis sententiam: non domini, de re sua liberè & cum potestate statuentis: non magistri prudentissimi, arcana sua prout videbitur exponentis: sed suavissimam adhibet appellationem Patris, ut eò facilior sit ac jucundior, in re quamvis tristi, humanæ voluntatis

tatis cum divina conformitas. Eamdem ob causſam non alio quàm Patris dulciſſimo nomine uſus eſt, in horto Olivarum, quando ipſi fæculentus calix, amariſſimuſque, ac peccatorum omnium horrore, & pœnarum imminentium acerbitate plenus, propinabatur.

SECTIO SECUNDA.

Alterum Adjumentum,

Conſideratio providentiæ humanæ.

1. *Prouidentiæ diuinæ lampas.*

ZAchariæ Prophetæ objicitur cap. 4. videndum *candelabrum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput ejus: & duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus.* Deſcribitur candelabrũ ſepticeps in templo Hieroſolymitano ardere ſolitum, eâ ferè formâ, qua Exodi cap. 25. deſcribitur in tabernaculo collocandum. Aptiſſima figura Providentiæ divinæ, quæ aurea tota

tota est, & pervigil, oleumque, ac lumen lucernis aliis, suorum decretorum administris, communicat. Eo lumine collustrantur præsertim olivæ duæ, operi pacis, ædificando Hierosolymitano templo, studentes, id est Zorobabel, & Jesus filius Josedechi: & quicumque eorum exemplo aggrediuntur agenda, freti auxilio potentiæ ac misericordiæ divinæ, non autem viribus suis. Hanc explicationem ab Angelo accipe ibidem: *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. Quis tu mons magne,* congeries impedimentorum redintegrandi templi, ab æmulis excitatorum, *coram Zorobabel? In planum:* mox Dei auxilio obices omnes subruentur, & aspera fient in vias planas. Adverte animum præsertim ad illa verba: *non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.*

II. *Qui eam non cernant.* An ergo memet mihi fidere nôlis, non divitiis, non dignitatibus, non amicis, non robori membrorum,

brorum, non viribus animi, non eloquentiæ, non prudentiæ? Planè volo fidere, sed intra modum ac fines. Damnandi, qui nullo ad Deum respectu, fide Providentiæ divinæ nullâ, solis sibimet, aut alienis hominum amicorum auxiliis incumbunt. Talis fuerit apud Dionem M. Antonius, qui matri, pecuniam à plebe ac Senatu extortam, & tam citò profusam, conquerenti, respondit, aurum sibi non defore, quamdiu ferrum non deesset. Cum isto homine si Carneades aliquis, aut Philosophorum ejus ævi alius de Providentia divina disputasset, suam ipse Providentiam ostentasset, admota ad gladii capulum manu. Ab hac bellua mutuatus forsan Nazarius Constantini panegyristes, probrosum illud, & Christianis temporibus intolerabile, *sua cuique prudentia Deus est.* Non longè ab impiis illis absunt, qui de Providentia quidem divina fidem habent, ad eam tamen in agendis patiendísve non attendunt, sed ad se tantùm mortalésve alios. Sic Rex Asa, libro Paralipomenon 2. cap. 16.

æger

æger *non in Domino, sed magis in medicorum arte confidit*, non infidelis, sed immemor. Ita mercatores, Jacobi cap. 4. de annis & lucris constituunt, omissâ necessariâ illâ in futurum conditione, *si Deus voluerit*. Sciunt sanè à Deo regi omnia, & eventûs omnes ejus arbitrio contemperari, neque experientiam suam, ingeniúmve, aut fortunam, aliud esse, quàm supremi gubernatoris instrumentum: sed quod sciunt, non adspiciunt, eodémque modo agunt, ac si nescirent, vel non crederent.

III. *Dei bonitas confertur cum creata.* Ut de hoc altero hominum genere non simus, nam de primo absit ut ullus vel tenuiter pius cogitet, firmiter hanc veritatem menti infigamus: Mortalium nulli, aut aliarum intelligibilium creaturarum, ne nobis quidem ipsis, tam bonam erga nos esse voluntatem, quàm Deo, ut bonum velimus: nec tantam sapientiam, ut eligamus media ad finem: nec tantam potentiam, ut possimus exequi quod destinavimus. Ergo meliùs multò à Deo nos regi, quàm à nobis ipsis, aut ab hominibus

bus ingeniísve aliis, nisi Deus illis ad nos ducendos utatur. Demus satis te habere bonitatis ut tibi benè velis, quomodò oportet. Negârint enim hoc multi. Negavit certè D. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 6. multos à semetipsis verè amari, quia cùm *in homine sint duo, scilicet natura spiritualis, & natura corporalis: per hoc homo dicitur diligere seipsum, quòd diligat se secundùm naturam rationalem.* Qui autem ita se non diligunt, odêre. Accedit Divo Thomæ Christi sententia, Matth. cap. 10. ubi ait, ab iis perdi animam suam, qui eam amant, videlicet, non quà æterna est & spiritualis, sed quà immersa in corpus & carnem. Accedit Sapiens c. 17. Sapien. ubi de hominibus loquens semetipsos sequentibus, & odiosè amantibus, Indisciplinatas appellat animas, & fugitivas Providentiæ. Accedit experientia quotidiana hominum sponte suâ pereuntium: nam, ut Sapient. cap. 1. dicitur, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum: sed impii manibus & verbis accersiverunt illam.* Demus tamen verè

te amari à teipso. Demus & illos, quibus fidis, satis habere bonitatis, ut te ament. Dubitârint enim ea de re Philosophi, qui veram amicitiam vix uspiam reperiri existimant, regnare passim amorem concupiscentiæ. Christus ampliùs dicit: *Cavete ab hominibus: Inimici hominis domestici ejus: tradet frater fratrem.* Ostendit experientia fraudes, inconstantias, proditiones inter conjunctissimos, qui ut necessitudinis & amicitiæ exempla spectabantur. Esto tamen Augustino Alipius, Basilio Magno Nanzianzenus, Paullino Sulpitius, Chrysostomo Basilius Seleucienſis, Davidi Jonathas, Eliæ Elisæus, tibi fidus & constans animus. Sed eorum benevolentia comparandáne divinæ? Amántne te æquè ac Deus? Si dubitas, revoca ad calculos, ut gratitudo solet, eorum pro te studia & opera: vide an pro te mundum creârint, pro te infame crucis supplicium subierint? Dicebat D. Teresæ Christus: si mundum non creassem, tibi crearem. Innocens, sancta, amabilis illa fuit: at non talis apostata ille perfidus, de

quo

quo Christus, cum Carpo agens apud Dionysium affirmavit, pro perdito illo etiamnum crucem sese lubēter passurum, si passus non esset. Quis amicorum pro te id faciat? Imò, quis pro se? Isti tamen amico, aut tibi ipsi, plus fidas quàm Deo?

IV. *Sapientia humana qualis?*

Sed faciamus, bonitati ac volūtati tuæ, & tuorum, prorsùs te posse confidere. An verò sapientiæ innitêris, contra Sapientis iterata toties præcepta: *ne sis sapiens apud temetipsum: ne innitaris prudentiæ tuæ: qui confidit in cogitationibus suis impiè agit?* Velim mihi bona omnia, & solidè bona: velint etiam alii. At modósne eò veniendi pervidemus? Penetramúsne ac perspicimus commoda universa, incommoda, auxilia, obstacula, difficultates? Verissimè Sapiens dixit cap. 9. Sapient. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* D. Bernàrdo, Sermone de fallacia vitæ præsentis, inventa, & commenta ingenii humani similia sunt igni, ac luci, lampadis exiguæ, aut parvuli cerei. Vix

allucet

allucet ad passus duos, & quidem fumo obscuratur, ac lucendo consumitur. *Accenditur cereus, non purum lumen est, sed lucerna: si quidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsâ consumptione fovetur.* Sic sunt ingenia nostra: parum lucent, & maxima pars eorum quæ scimus, non est minima eorum quæ nescimus. Intelligentiam, ex se satis obscuram, obnubilant passiones & affectus fumosi: unde nata Philosophi ac Poëtæ Christiani querimonia,

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ,
Tendit in externas ire tenebras.

Denique ingenio agente, corpus patitur: corpore patiente, ingenium langueſcit, ipsaque sibi vivacitas ingenii mors est. Id expertus Ecclesiastes cap. 12. dicit: *Frequens meditatio, carnis afflictio est.* Et Sapiens cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Idem forsan innuebat Jobus cap. 17. *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquẽtes cor meum,* & corpus meum, méque exedendo exedentes seipsas.

V. *A Deo destituta.*

Adde, quod Deus sæpe istorum apud semetipsos sapientium consilia disturbat, & infatuat, sicut Achitopheli contigit, & sapientibus consiliariis Pharaonis. Judæis etiam, Isaia teste cap. 30. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & operiremini telam, & non per spiritum meum.* Exodi cap. 1. politicum consilium Pharaonis, de perdenda natione Hebraïcâ, Deus in ipsummet vertit, eumque facit altorem Môsis, à quo perdentur, qui Hebræos perdere voluerunt. Libro 3. Regum cap. 12. & 14. *Excogitato consilio* facit Jeroboam vitulos aureos, ne sui ad Regem Juda, verum Dominum, redeant: idcirco à multis ad Roboami partes transeuntibus deseritur: & ista denique ipsa excogitatio Israëlitis est caussa exitii. Oseë Propheta caussam assignat cap. 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi:* id est, sic se ipsi gesserunt, quasi non nossem. *Argentum & aurum fecerunt sibi idola, ut interirent. Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samaria:*

mariæ: quia ventum seminabunt, & turbinem metent. Reges Juda, deliniendo populo, Baalis & aliorum deorum inanium simulacra adorant: ob id consilium, Deus scrutatur Jerusalem in lucernis, & visitat *super viros defixos in fœcibus suis, qui dicunt, non faciet Dominus benè, & non faciet malè.* Sophon. cap. I. Laudata Caïphæ prudentia à Judæis, Joannis cap. II. quando dixit, *Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat.* Mortuus est homo unus: tota nihilominùs gens periit, captúsque est astutus in astutia sua. Cæsares Romani, cædibus in Ecclesiam nascentem grassati, ipso opprimendi consilio eam multiplicavêre: Dominus dissipavit consilia Principum, & reprobavit cogitationes populorum.

VI. *Male eligit.* Sæpissimè, cùm nobis relinquimur, idem nobis usuvenit, quod Sigismundi Imperatoris aulico apud Peucerum, & ex illo apud Drexelium in Heliotropio. Res ferè sic habet. Querebatur aulicus obsequiorum mercedem sibi non donari, obscurè quidem & subtimidè:

midè: non ita tamen, ut Sigismundus non audierit: longæ enim sunt, & manus, & aures Principum. Itaque ut amœni erat ingenii, aulæ suæ risum daturus, pyxides duas formæ, materiæ, magnitudinis ejusdem, gemellas planè, jubet impleri, plumbo unam, auro alteram: sic tamen ut neutra præponderaret, indicióque nullo deprehendi posset, in utra lateret paupertas benè vestita. Vocatur querulus aulicus, & ne ampliùs de Cæsaris benevolentia expostulet, jubetur ipse sibi mercedem optare, e pyxidibus istis alteram: plumbum uni inesse, aurum alteri. Tergiversanti, excusantique, & mercedis suæ tempus atque electionem permittenti tamdem, quod antè oportuerat, arbitrio Cæsaris, pyxides dantur in manus. Incipit invitus agere libripendem: versat identidem & reversat utramque, nunc dextrâ, nunc sinistrâ: circumspicit, explorat, pertentat, quacumque potest, & cùm indicii nihil deprehenderet per se, ex vultu Cæsaris & spectatorum quærere conatur. Anxius aliquamdiu sortes miscue-

miscuerat, cùm tamdem, seu ne longiore mora tædium crearet, seu quia aliqua rectè eligendi conjectura videbatur: hanc, inquit, mihi pyxidem opto, & simul eam ambabus manibus comprehendit, velut possessionem capturus. Aperitur: & ecce tibi plumbea gaza apparuit, querulóque optatori verecundiam incussit, aulæ universæ risum excussit. Post quam desiti cachinni, Sigismundus ad eum conversus: tu ergo, inquit, deinceps imputa tibi fortunam tuam, non mihi: quippe sic ipsemet elegisti.

VII. *Non fidendum ingenio.* O quoties similia nobis contingunt! Fortunæ dicam inpingimus & litem facimus, nova desideramus, ignota petimus, eligimus pejora, amittimus meliora, affectibus cœci, & à Deo nobis relicti, quia eo duce & electore contenti non sumus. Auctor Soliloquiorum cap. 16. sic inducit loquentem Augustinum: *Credebam me sufficere per me, nec perspiciebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi, & cognovi.*

Verè

Verè de illo Monicæ à Simpliciano dictum, *Fidere ipsum nimis ingenio suo*: ideóque permissus sibi à Deo, plumbum præ auro elegerat, hæresin præ Catholica fide, luxuriæ sordes præ continentiæ luce: donec suimet pertæsus, Deo se credidit. Philo, libro 2. Allegoriarum legis, de inanibus hominũ consiliis & ingeniis agens: *Audis*, inquit, *interdum medicum dicentem, ego his medicamentis, & alimentis, ægrum meum persanabo. Sed sæpe natura sine istis sanavit ægrum, & cum istis interemit.* Agricola ait: Seram, plantabo, apta est tempestas, culta tellus, selecta sementis: paullò pòst imber, aut æstus, aut miles spem vanam aufferunt. Proinde optimum est, postquam quod industriæ tuæ est feceris, eventum Deo credere; neque incertis cogitationibus conjecturísque fallacibus nimis inniti.

VIII. *Neque arti aut industriæ.* Opus Samsone non est, ut prudentiæ nostræ palatia subruantur: febricula una non solùm sanitatem & formam auferet, sed etiam eloquentiæ & sapientiæ silentium indicet.

Multos

Multos catarrhus unicus de prudentissimis stultissimos fecit, de disertissimis elingues. Morbus Maximo Oratori ita memoriam omnem abstersit, ut ne nominis quidem sui meminisset. Videmus verno tempore hirundinum artem in nidulis concinnandis. Alâ utrâque commadefactâ, aquæ guttulas pulveri inspergunt, indéque lutum conficiunt, quod rostris ad domunculam ponendam deferunt. Postquam mirâ avium sagacitate luteum opus perfectum est, momento unico disturbabitur à muliercula, garrulitatis suæ æmulas hirundines non amante. Arte maximâ domum tibi construxeris, familiam fundâris, famam labore & intelligentiâ feceris, divitias industriâ comparâris: lutea sunt isthæc, levi ictu diffringentur; incendio domum, bello familiam, invidiâ honorem, injustitiâ opes amittes. *Perdix*, inquit Jeremias cap. 17. *fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in medio dierum suorum derelinquet eas.* Quod de opibus ille, hoc de creatis omnibus bonis, industriâ humanâ comparatis, dicendum:

dum: ova esse aliena, quæ à perdice incubantur, pullis exclusis ad veræ matris clamorem abituris, & novercam relicturis.

IX. *Non innitendum hominibus.*

Demus nihilominùs industriam nobis & sapientiam, quâ regamur, non deësse: sed quid possumus, folia quæ vento rapiuntur, tenuis pulviſculus minimo flatu avolaturus? Fidis tibi, fidis alteri cuilibet, quicumque ille sit tamdem, homini fidis, qui affectu mutabilis est, conditione instabilis, corpore fragilis, animo imbecillis, ad extremum mortalis. Fidis illi, quem, uti Pharaonem, ranæ & culices subigent; uti Nabuchodonosorem, insomnia terrebunt; uti Holofernem, mulierculæ manus aufferet: quibus dici potest, quod Isaiæ cap. 1. *Erit fortitudo vestra, ut favilla stupæ:* aut quod apud eumdem cap. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Poëtæ Græci & Latini celebre nobis exemplum, vanissimæ & infirmissimæ illius

illius potentiæ, ostendunt in Priamo, cui *Quinquaginta intus thalami, spes tanta nepotū*, ruentem familiam non suffulsêre. Illustrius longè habes in Gedeonis filiis sexaginta novem, Judicum cap. 9. & septuaginta Achabi liberis, libro 4. Reg. cap. 10. quos una dies abstulit, spemque posteritatis præcîdit. Sæculo proximè præterito, Margareta Lotharinga, Alensonia Dux, patre, fratribus, marito, liberis innixa, ante tricesimum ætatis annum luxit quinies & decies funera suorum, & dolore suo didicit, spes in fragili & lubrico non ponendas. Itaque postquam toties atrata incesserat, pro symbolo deinceps sumpsit Ecclesiastæ intercalaria verba, *Vanitas vanitatum*, sive, ut Augustinus legebat, *Vanitas vanitantium*. Sæculo nostro, Joanna Franciscа Fremiota, cui Director optimus B. Franciscus Salesius nomen Philotheæ fecit, post mariti Chantalii toparchæ mortem, patris, soceri, generi, filii, filiæ, aliorumque affinium funera spectata, aut audita, noviſſimè ipsum animi sui cariſſimum patrem absens

amisit, vixitque vitæ suæ superstes, ut uni Providentiæ divinæ, quod avebat, inniti assuesceret, nosque exemplo suo doceret.

X. *Vana refugia.* Psalmo 30. Vates Regius, *Odisti*, inquit, *observantes vanitates*, id est idola, *supervacuè*, absque ratione & utilitate ullâ. Augustinus in eum Psalmum, hæc verba ad inanitatem humanæ fiduciæ trahens: *Speras*, inquit, *in pecunia? Observas vanitatem. Speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ? Observas vanitatem. In his omnibus cùm speras, aut tu exspiras, & ea hîc dimittis: aut cùm vivis, omnia pereunt, & in spe tua deficis.* Idem in Psalmum 46. explicans hæc verba: *Deus noster, refugium & virtus, adjutor in tribulationibus: Sunt*, inquit, *quædam refugia, quò quisque cùm fugerit, magis infirmatur, quàm confirmatur. Confugis, verbi gratiâ, ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur... Multi cùm ad talia refugia confugissent, cadentibus illis, ad quos confugerant, & ipsi quæsiti sunt, quos nemo quæreret, nisi ad talia confugissent. Non est refu-*

gium

gium noſtrum tale: ſed refugium noſtrum virtus eſt: cùm illuc confugerimus, firmi erimus. Stultitiam Philiſtinorum quis non miretur, libro Regum 1. cap. 5. idolum ſuum Dagonis ſæpiùs dejectum, ac fermè comminutum, toties tamen reſtituentium loco ſuo & adorantium? Sic ſunt, qui humanæ prudentiæ, mortalisque poteſtatis idola, quotidie collabentia, & in partes diſſilientia, pergunt tamen vanæ fiduciæ ſuffitu, & adſpiratione, venerari.

XI. *Arbores ruentes, & umbræ.* Hinc tam altè inſonat Jeremias, cap. 17. utinam ſic ut ab omnibus exaudiatur: *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*, &c. Origenes illud explicans, *Maledictus qui pendet in ligno*, idem ait ſibi videri, ac, *Maledictus, qui confidit in homine.* Ingeniosè dictum, & verè. Homo enim quilibet, cui confidimus, à quo pendemus, cui incumbimus, lignum eſt ſemiputre, ſaucium, ſic reciſum quotidiana infirmitate, ut vix cortice hæreat. Aiunt elephantem à venatoribus capi, notatâ arbore ad quam acclinare ſe ſolet, ut in-

terquieſcat, aut dormiat. Stantem enim dormire, quia poplites flectere vix poſſit, aut ne vix quidem. Arboris autem illius truncum ſecari medium ad corticem uſque, itaut vix hæreat, & mole incumbentis animalis ſolo afflicta, illud ſecum trahat. Ita belluam per venatores, rei exitum in inſidiis præſtolantes, occupari, quia ſemel collapſa difficillimè exſurgat. Verúmne id ſit, non diſquiro: cùm à pleriſque olim traditum, hodierni Scriptores teſtes oculati pernegent. Certiſſimum tamen, ea imagine, hominum plurimos ruere & intercipi. Principem Eccleſiæ vident, aut magnatum aliquem divitiis, amicis, honoribus florentem: cedrus Libani ipſis videtur, aut firmiſſima quercus. Incumbunt trunco, quem infortunia aut morbi mox partim ſuccident: ita cum proruente ruituri, nec ſurrecturi, niſi ad ludibrium. *Multi*, inquit Auguſtinus in Pſalmum 131. *de amicis potentioribus præſumpſerunt: ceciderunt illi de quibus præſumpſerant, & involverunt illos qui de illis præſumpſerant.* Truncos & arbores vocavi, nimis

nimis dixi: umbras dixisse debueram, cum Isaïa cap. 30. *Habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Numquam spectasti Jonam sub umbra cucurbitæ, aut hederæ, lætantem, mox mutaturum, cùm *vermis ascensu diluculi* hederam percusserit? Sic sunt gaudia & spes mortalium, umbra futilis, verme infirmior, diluculo fugacior, tristitiam lætitiæ eodem momento admistura, & confusura. Nos in umbra illius qui desiderandus est, sedeamus, sub ejus providentia quiescamus.

XII. *Quatenùs creaturis fidendum.* Sed audio rursus obmurmurantem humanam prudentiam. Ecquinam enim fæliciores sunt in hac vita, quàm qui vel sibi ipsis facere fortunam possunt, vel ab amicis accipere? Quid humanâ societate fiet, sine fiducia? Nolis igitur patri filium inniti, ægrum medico, pauperem liberali, pœnitentem Confessario, subditum superiori, studiosum ingenio, divitem opibus, ducem militi, Regem potentiæ? Respondeat tibi D. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 4. &

moneat, ut isthæc omnia adspicias, velut instrumenta agentis Providentiæ divinæ. Statuam si interroges, perfectionémne suam ab instrumento, an verò ab artifice exspectet: si respondere possit, artificem statim nominet. Ita tu à Deo bona omnia exspecta: artifex est: cæteta ejus instrumenta sunt. Sic Ezechias de Isaïa judicet: sic Esther de forma sua, Assuero placitâ: sic Rachel de mariti Jacobi castis amoribus: sic Josephus de genio suo & fælicitate: sic Salomon de opibus: sic Samson de viribus: sic David de fortibus bellatoribus: sic Judæi de Juda Machabæo: sic Machabæus de fratris Simonis prudentia: sic Moses de Jethro socero & consiliatore: sic de Mose Aaron. Instrumenta Dei sunt: fide illis tamquam instrumentis, quæ, sine opificis manu, nihil penitùs queunt efficere. Damnandi itaque, qui, Deum obliti, sese aut alios tantummodò spectant in rebus agendis, sperandísve, ut supra monuimus.

XIII. Ob-

XIII. *Et Deo.* Objicit sibi deinde cor fiduciæ nescium. Feci quod mones: Deum adspexi, ad ipsum recurri sæpiùs: maneo interim Saülis instar, libro 1. Regum cap. 28. *Qui consuluit Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Quid mihi supereſt, nisi anxii animi tristis ægrimonia, ut dicam cum Saüle, *Coarctor nimis, siquidem Philistiim pugnant adversùs me, & Dominus recessit à me.* Homo infælix, Deus à te non recessit, nisi ab ipso priùs recesseris: providentia ipsius te non destituit, nisi eam antè deseruerís, prudentiæ aut tuæ aut externæ nimis confisus. Sequere Abrahami exemplum Genesis cap. 22. in re maximi momenti, ubi de unici cæde agebatur, Isaaco dicentis: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Sequere Susannam, *quæ*, Danielis cap. 13. in summis famæ vitæque angustiis, *flens suspexit in cælum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Audi monitum Siracidæ, Eccli. cap. 2. *Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo, & sustine,*

ut crescat in novissimo vita tua. Ad increpandam diffidentiam tuam expende verba Augustini in Psal. 145. *Dicatur homini in afflictione aliqua constituto: est quidam homo magnus per quem possis liberari: arridet, gaudet, erigitur. Quod si dicatur illi, liberat te Deus: quasi desperatione frigescit. Promittitur auxilium mortalis, & gaudes: promittitur immortalis, & tristis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, & tamquam aliquo magno auxilio exultas: promittitur ille liberator, qui liberatore non indiget, & quasi ad fabellam desperas? Væ talibus cogitationibus, longè peregrinantur: verè misera & magna mors est in eis.*

SECTIO TERTIA.

Tertium Adjumentum,

Consideratio insaniæ & infælicitatis illorum, qui à Providentiâ divinâ sese regi non sinunt.

1. *Calamitas ubique.* PRopheta Zacharias c. 5. *Conversus sum*, inquit, *& levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans.*

Græcus

Græcus textus habet δρέπανον πετώμενον *falcem volantem*: sed ex Hebræo מְגִלָּה Meghillah, aptiùs intelligitur, quomodò & Chaldæus expressit, volumen, id est membrana seu charta volubilis. *Et dixit ad me* Angelus: *Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum.* Area capax describendis Hebræorum omnium meritis & pœnis. Rabbini observant ejusdem prorsùs mensuræ fuisse templi Hierosolymitani portam: videri itaque inde volumen illud exsilîsse. Ut nempe intelligamus, à Deo designatas ac distributas fuisse Judæis singulis calamitates suas. *Et dixit ad me* Angelus: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem universæ terræ... Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, &c...* Membrana illa volubilis aptissimè, meo judicio, significet, non calamitatem tantùm publicam, quâ Judæi per Babylonios oppressi fuêre: sed quamlibet à Providentia divina hominibus singulis descriptam, & decretam, fixóque tem-

pore ad quasvis domos, ex æterni templi adytis, advolantem. Frustra portas objeceris, seras obstruxeris, pessulum obduxeris: nulla non domus afflictioni pervia est: laborare debet virtus, ut exerceatur; vitium, ut plectatur.

II. *Non benè ubique excipitur.* Id aliàs in Commentariis ostendemus: & simul non omnes, qui laborant, pari tamen sorte & fructu laborare. Quod Augustinus, libro I. de Civit. eximiè dixit: *Manet dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum: & licèt sub eodem tormento, non est tamen idem virtus, & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, & palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideò oleum cum amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita una eadémque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, & exterminat. Vnde in eâdem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum,*

gitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat ſuaviter unguentum. Eumdem in ſenſum Bernardus Epiſt. 32. ad Abbatem S. Nicaſii Rhemenſem : *Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempeſtas aquæ, &c.* Tum ſubdit hortationem ad patientiam. Nos eodem fine deſcribamus infælicem ac deplorabilem ſtatum impatientium, ut, ex oppoſitione contrarii, virtus, quam commendamus, eluceſcat, & ad ſui amorem nos potentiùs alliciat.

III. *Prima impatientium infælicitas.* Ac primùm ex eo miſeri ſunt, quod quantumvis miſeriis obluctentur, & ægrè ferant incurrentia, ferre tamen inviti cogantur. Cleanthis hac de re verbum ſapiens eſt, à Seneca Latinè factum, Epiſt. 107.

Duc me parens, ſummíque moderator poli

Quocum-

Quocunque libuit, nulla parendi est mora. Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens: Malúsque patiar, facere quod licuit bono. Meliùs est ab Augustino monitum audire, in Psalmum 99. *Noli servire cum murmure. Non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed ut malus servus servias. Servus es Domini, libertus es Domini: non sic quæras manumitti, ut recedas à domo manumissoris tui.* Frustra enim exire de domo ejus & manibus quæres, cùm undique compedibus potentiæ ipsius vinctus tenearis, quibus, quantumvis reluctans, trahêris. *Videtis*, inquit idem Augustinus in Psalmum 32. *quanti disputant contra Dominum. Cùm enim facere voluerit contra voluntatem hominum, quia Dominus est, & novit quid faciat, nec tam attendit nostram voluntatem, quàm utilitatem: illi, qui malunt suam potiùs voluntatem impleri, quàm Dei, volunt ad suam voluntatem flectere Deum, non suam corrigere ad Deum.* De infælici istorum conditione prænotata sunt quædam, partis hujus sect. 1. numero 6.

IV. Nec

IV. *Altera.* Nec modò non exeunt malis suis, qui obluctantur, sed ea per ipsam obluctationem augent: & impatientiam, quæ tristitiæ genus est, cordique dolorem imprimit, aliis doloribus superadjiciunt. Febricitans, quantumlibet sese in lecto convolvat, febrim non excutiet, imò agitatione magis accendet. Latro à satellitibus comprehensus, si obsistit, manicas præterea patietur, & pedibus pulsabitur, & nodosos stipites sentiet. *Laqueos*, inquit Seneca libro de Consol. ad Helviam, *fera, dum jactat attingit. Aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum est, quod non minùs lædat ducentem, quàm repugnantem.* Aiunt medici, cùm venenum ab animali epotum est, cor, quod illo maximè petitur, intumescere, agitari, poros calore distendere, ut se defendat: & ea ipsa defensione venenum citiùs ad se trahere, atque intrò suscipere. Ita impatientes, nimiâ adversùs dolorem repugnantiâ, & commotione, plus doloris concipiunt, aditúmque illi ad cordis intima aperiunt.

Narrant,

Narrant, Ageſilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philoſophum affuiſſe, &, ne moleſtus eſſet, ſermonem abrumpere, & abire voluiſſe: at illum oſtenſis manibus ac pedibus primùm, dein cordis ſede, dixiſſe malum illîc eſſe, huc autem nondum penetrâſſe: itaque aſſideret, & confabularetur. Longè aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum à mali odio, quàm ab ipſo malo eſt: & qui optimè dicere de ſe poſſint, quod aliâ ſententiâ Tobias, *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam, per calamitates ad æterna ducentem, non adſpiciunt?

V. *Tertia.* Creſcit infortunatorum hominum infælicitas ex eo, quod ingentem theſaurum meritorum impatientiâ ſuâ miſerè prodigi perdant. Quantum miles inter vulnera, aulicus inter indignitates quotidianas, ancillæ & ſervi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in ſuis calamitatibus, lucri cum

Deo

Deo facere potuerant si toleranter ferre incommoda ingruentia voluissent. Sed heu! *Viri divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.* Struthio, crassum & stupidum animal, alas habet, sed non subvolat. Habuêre isti alas, quibus in cælum evolarent: in sabulo ac cœno hærere maluerunt. Hoc Infidelibus exprobrabat Augustinus lib. 1. de Civitate: *Perdidistis utilitatem calamitatis, & miserrimi facti estis, & pessimi permansistis.* Salvianus, libro 7. de Providentia, idem de ætatis suæ hominibus conquerebatur: *Quid hoc mali est? Iumenta & pecudes sectione curantur: nos nec cauterii adustione, nec ferri desectione curamur, imò, quod pejus est, curâ ipsa deteriores sumus.*

VI. *Quarta.* Inde sensim ad majus longè infortunium delabuntur, ut quemadmodum à medico ægri insanabiles, ita ipsi à Deo deserantur, & dimittantur secundùm desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Doctus sessor equo domando frænos, camos, calcaria, virgas,

virgas, compedes, quidlibet denique adhibuit incassum: quid supereſt, nisi ut præcipitem abire patratur? Pueris efformandis quantam oporteat adhibere diligentiam, nôrunt parentes & magistri: clamandum, instandum, nunc minis, nunc promissis, nunc honoris invitamento, nunc metûs stimulo. Posteaquam incassum infrunito adolescentulo impensa sunt omnia: magister denique, aut parens, operam perdere desinet, & immorigerum relinquet sibi. Eum in modum Deus acturum se affirmat, Jeremiæ cap. 2. *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem . . . . Frustra percussi filios, disciplinam non receperunt.* Simili caussâ & formulâ, Ezechielis cap. 16. Deus ait futurum, ut ultrà non irascatur. Famulum neque imperiis, nec probris, nec verberibus obtemperantem herus domo ejiciet, nec recipiet ampliùs, nisi desipiet. Eodem modo cum Judæis Deum egisse, dicit Cyprianus, Oratione 3. contra Judæos. Apud Amos Prophetam cap. 7. Locustæ famem, Ignis pestem, Trulla bellum, flagella

gella tria, aliud ex alio Israëlitis immissa, indicant. Cæmentarius deinde, de inducendo muro desperans, *Ponam*, inquit, *trullam in medio populi mei Israël, non addam ut superinducam eum.* Cur autem de populi istius emendatione desperatur? Caussam habes cap. 6. ubi tempore pestis nolunt sibi de Providentia Dei fieri mentionem: *Tace*, inquiunt, *& non recorderis nominis Domini.* Depositа est illorum curatio, qui curari à Deo nolunt.

VII. *Ultimum exitium.* Quid autem de ejusmodi hominibus, à Deo desertis, exspectandum est, nisi extrema pernicies? *Væ eis*, inquit Deus, Osee cap. 9. *cùm recessero ab eis.* Recedente salute, salus sperari non potest. Luce vitáque abeunte, nîl præter mortis umbram & caliginem exspectari debet. Deseri à Deo homines, prosperitate & bonis caducis immodicè abutentes, non equidem ita dolendum est: receperint bona in vita sua; in altera crucientur. At infælicitatem tam infæliciter à quibusdam hominibus excipi, ut ideò divina ope destitui mereantur, quis

quis satis lugeat? Damnetur Caïnus invidiâ, Gigantes ante diluvium injustitiâ, Nembrothus homicidiis, Her & Onam infanda mollitie, Sodomitæ infamibus vitiis, Pharao obduratâ contumaciâ, Abiron superbiâ, Core rebellione, Absalon ambitione, Saul inobedientiâ, Holofernes ebrietate, Jezabel impietate, Antiochus sacrilegis latrociniis & cædibus, Alcimus infami proditione, Dives Epulo immisericordi erga pauperes crudelitate, Virgines fatuæ væcordi negligentia, Caïphas politico consilio, Judas avaritiâ, Pilatus insano metu displicendi. Sed damnari morbis suis Jobum, captivitate Josephum, exilio Jeremiam, cæcitate Tobiam, tormentis septem matris Hebrææ liberos, carcere Joannem, paupertate Lazarum, quis non lamentaretur? Nonne isthæc foret omnium maximè deploranda infælicitas: hujus vitæ miseriis æternarum miseriarum experimentum & præjudicium antecapere; ex Purgatorio temporali ad inferos descendere: cum alioqui ex Purgatorio ad cælum apertus,

facilis-

facilisque trames compendio duceret?

VIII. *Pessimum impatientiæ genus.*

Túne verò, inquis, impatientes omnes eò miseriarum devenire existimas? Atqui quotumquemque invenies, perfectæ in malis tolerantiæ? Quota ergo hominum pars à Deo non deseretur, si impatientes omnes merentur destitui? Ne trepida. Non omnes eodem gradu impatientes sunt. De infimo & pessimo hîc loquimur. Ii sunt, qui vel apertè Deo obloquuntur, vel apud se saltem contra ejus decreta obmurmurare audent. Cujusmodi fuit pessima, si tamen pessima permansit, viri optimi uxor, quæ sub doloribus fatiscenti inculcabat, *Benedic Deo, & morere*, id est, blasphemam aliquam vocem adversùs Deum evome, ut cæteris tuis calamitatibus mortem adjiciat, harum calamitatum finem, & principium scilicet æternarum. Tales fuêre, qui apud Malachiam cap. 3. increpabant claris vocibus, vanum esse hominem, qui Deo serviret, cum piis juxta & impiis mala incurrerent. Consimilia plurima apud Prophetas alios miserorum

Israë-

Israëlitarum, ac Judæorum, verba reperire est.

IX. *Intoleranda eorum impudentia.*

Væ, inquit Isaias cap. 45. *qui contradicit factori suo, testa de Samiis terræ.* *Ecce*, inquit Jeremiæ calamo Deus cap. 18. *sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea:* & tu Baruc, fide secretorum meorum depositarie, lutum es: & tu Sobna, quantumcumque inter primores emineas, aut eminere videaris, coram Deo lutum es: & tu Rex Sedecia, sceptro, diademate, purpurâ ornatum lutum es: & vos filiæ Sion, amictæ auro primo & gemmis splendidæ, lutum estis: & tu Regina, in cultu Persico & luxu Babylonico, lutum es. Luto suo facit figulus quod vult: Deus suo, quod volet, non faciat? Aquâ figulus lutum macerat: Deus vult, ut afflictionum aquæ intrent usque ad animam nostram. Pinsit lutum figulus: calamitosos conculcat homo, tota die impugnans tribulat. Figulus manibus lutum effigiat: Deus in homine calamitoso vertit & convertit manum suam. Dirumpit figulus lagenam aut vascu-

vaſculum ſuum, quando collubuerit, contritione prævalida : Deus confringet ad numerum dentes noſtros, quando fuerit collibitum, & ſicut vas figuli confringet nos. Sapientis erit dicere cum Michæa cap. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei:* aut cum Jobo, *Peccavi, & verè deliqui & ſicut dignus eram non recepi :* vel, verbis Machabæi noſtri, amantiùs & ſuaviùs, *ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Sin obmurmuret, & conqueratur teſta de Samiis terræ, quis impudentem inſaniam non execretur ? Interrogabat Corinthios Paullus 1. epiſt. cap. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Indignetur ſcilicet vitis, uvam à vinitore decerpi & exprimi : non patiatur ovis à paſtore ſe tonderi. Iraſcatur homo, quod à Deo in torculari dolorum ponatur, & bonis caducis velut lanâ ſpolietur : cùm tamen longè magis proprium ſit Dei peculium, quàm vinea vinitoris, aut vervex paſtoris. Mactabitur itaque pecus inutile: vitis obdurata & infrugifera

reſeca-

resecabitur, ut flamis pabulum fiat: & homines tam insanè & impudenter impatientes, sicut oves in inferno ponentur, mors depascet eos.

x. *Genus alterum.* Alterum impatientium genus, Deo quidem parcit, at non sibi: id est adversus Providentiam divinam directò non pugnat, sed indirectè, & per suum ipsorum latus. Isti simul infortunium haud exspectatum incurrêre, attoniti hærent, velut quos fulmen percussit: mox projecto animo, depositâ omni de Deo fiduciâ, à solitis pietatis exercitiis cessant. Quibus optimè Bernardus suum illud, epistolæ 256. ad Eugenium Papam, accinuerit: *Numquid ideò debet homo facere quod non debet, quia Deus facit quod vult?* Pejori loco erunt, & ad primum impatientium genus accedent, si, ut calamitates exeant, ad malas artes confugient, nec tantùm bona debita omittent, sed etiam mala vetita committent. Eum in modum Saül, ingruentium hostium metu percitus, posteaquam responsum à Deo nec per sacrificia, nec per vaticinia,

nec

nec per somnia signáve accepit, ad pythonissam consulendam profectus est. Ita Judæi, ab Assyriis sibi metuentes, ad umbram Ægypti, vetante nequidquam Deo, refugerunt, &, ut biberent aquam fluminis, dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

XI. *Tertium.* Frequentiores multò sunt impatientes tertii gradus: qui nec Deũ apertè impetunt, nec semetipsos tam crassè lædunt, sed de rebus, temporibúsve, cum indignatione conqueruntur. Immeritò tamen, cùm scire debeant, res omnes ac tempora, Providentiæ divinæ famulari: & noctes ac dies, frigus & æstatem, creata quælibet magna ac pusilla, benedicere Domino, quia faciunt verbum ejus. Obmurmurabat aliquando Maria Diazia, in Vita P. Baltassaris Alvarez, de frigoris hiberni inclementia: cùm illicò vocem intùs monentis audiit: ego frigus istud feci, tu de illo, quasi nimium esset, submurmuras? Ad eam classem pertinent, qui opere, itinere, consilio, ex sententia non succedente, bilem in animalia

aut instrumenta inanima, exonerant. Hi cum Balaamo, asinam percutiente, mereantur habere correctorem insipientiæ suæ subjugale mutum animal.

XII. *Quartum genus.* Quartus gradus est pueriliter impatientium, querulorum ad omnia, perpetuò gementium, cuilibet mala sua aperientium, ad inanem consolationem aut misericordiam captandam. Prorsùs, quemadmodùm dicere solitus B. Franciscus Salesius, sicut pueruli, qui ubi summum fortè digitum adusêre, matri ostendunt, tum patri, dein sororibus, dein obviis quibuscumque notis, neque antè lamentari cessant, donec omnes insufflârint, aut inspuerint. Rectè de hoc pusilli animi vitio Seneca, libro de Consolatione ad Polybium; *Non sentire mala sua non est hominis; non ferre non est viri.* Ingemiscet aliquando vir fortis, infortuniis percussus, amicóque uni atque alteri, ad leniendum doloris sensum, sese aperiet. Neque enim fortiorem ego Christo Christianum esse voluerim. Ingemuit, tristis esse voluit, discipulis non omnibus,

bus, sed tribus, animi sui mœrorem detexit: neque isthæc gravitati & fortitudini suæ indecora esse judicavit. Sic agat æger, pauper, mœstus Christianus, per me licet. At ubi naturæ istud dederit, conetur eodem Christi exemplo sese erigere, nec malis cedere, sed contra ire audentior; certus, quæcumque à Dei voluntate eveniunt, videri potiùs mala, quàm esse.

PARS QUARTA.

Fructus bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primus conformatæ cum Divina voluntatis fructus,

Gloria Dei.

I. *Emolumenta bona voluntatis..*

PRÆSTRUCTIS ternis conformandæ humanæ voluntatis cum divina fundamentis: explicatis actibus tribus, quos divinæ debet voluntati humana: ternis item ad illos faciliùs ac procliviùs producendos adjumentis monstratis: supereſt, ut ad fastigium ædificio imponendum fructus ternos, ex eo exercitio orituros, exponamus. Angeli Christo nascente concinuêre, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, id est, ut quidam explicant, Pax hominibus, quibus

quibus benè vult Deus. Alii eos intelligunt homines bonæ voluntatis, qui bonam in se habent voluntatem, & conjunctam cum omnium voluntatum optima: neque enim bona esse voluntas potest, nisi divinæ hæreat. Qui sic sunt comparati, ut exemplo Christi nascentis velint quod Devs vult, dant Deo gloriam, quanta hîc dari potest. Sibi pacem comparant, id est abundantiam bonorum spiritualium, quam pacis nomine apud Hebræos significari solitam, notum est, & nos alibi dicemus. Tranquillitatem denique internam & quietem animi possident, quanta usquam in hac mortalitate obtineri potest.

II. *Gloria Dei duplex.* Duplex Gloria Dei est: una naturæ ejus insita, & coæva: altera extrinsecùs & cum temporum fluxu adveniens: sive, ut modò loquimur, Essentialis una, & interior: Accidentalis altera, & exterior. Essentialis & interior est, quam Deus dat ipse sibi, sese intimè ac perfectè cognoscendo, & tanti faciendo, quanti est; estque hæc

gloria æqualis ejus merito, quia infinitus infinitum comprehendit, claramque habet sui cum laude amoréve notitiam. Accidentalis & exterior est, quæ Deo à creaturis intelligibilibus defertur, cùm Deum cognoscunt, cognitumque honorant, actibus vel internis tantùm, vel etiam externis. Nihil autem per istam extrinsecùs advenientem gloriam Deo accedere, manifestum est: cùm ante creationem intelligibilium mentium, æquè ac modò, magnitudinis omnis summæque gloriæ compos fuerit. Cognoscebatur enim ab intellectu infinito, & amabatur ab infinita voluntate, id est à seipso: cui cognitioni&dilectioni quidquid addatur, nihil tamen addetur, quia finitum additum infinito non facit majus. Et hac sententia intelligendum istud Psalmi 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deus ideò verè Dominus est, quia sibi sufficit solus, re nulla indiget extra se, αὐταρκὴς & seipso contentus.

III. Glo-

III. *Vult Deus gloriam.* Gloriam nihilominùs sibi à nobis dari vult, non quia indiget, sed quia nequit non exigere, postquam nos creavit. Itaque per Isaiam, cap. 42. denuntiat, *Gloriam meam alteri non dabo.* Et Vates Regius, divinæ voluntatis conscius, monet Psalmo 28. & 95. ut afferamus Domino gloriam & honorem, afferamus Domino gloriam nomini ejus. Angeli denique, præcones & choraulæ Dominici, canunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi audis gloriam Deo tamquam propriam assignari, pacem hominibus proponi: quemadmodùm piè notat Bernardus, additque homines, qui, pace non contenti, gloriam Deo debitam invadunt, & pacem perdere & gloriam. Quod autem diximus, Deum non posse ab hominibus gloriæ tributum non exigere: caussa hæc est. Quisquis ex ratione agit, propter finem aliquem operetur, necesse est. Finis autem ultimus propter quem agit, debet operante esse nobilior, vel æquè nobilis: quia laborare alicui, sive ejus

gratiâ nemo poteſt, quin eâdem operâ ſeſe illi aliquo modo ſubmittat. In quotidianis actionibus id facilè notatu eſt: quando ita hominis alicujus cauſsâ agimus, ut in ejus obſequio tamquam fine de ſe primario, extrinſecùs ſaltem ita ſe habente, ſiſtatur. Moſes ovibus ſoceri ſui Jethronis curandis præeſt: cùm id cauſſa ſoceri faciat, ei ſe hoc pacto ſubjicit. Joſephus ad domeſticas res Putipharis, in ejus gratiam & obſequium, attendit: adeóque hac ratione Putiphari fatetur ſe ſubeſſe. Ruth, alendæ ſocrui, ſpicilegium facit, eíque, id faciendo, ſubmiſſionem profitetur. Deus, qui cum ſummus ſit intellectus intelligentiſſimè agit, in rebus creatis producendis, conſervandis, concurſu ſuo ad operationem admovendis: finem aliquem ultimum ſpectare debet, non alium utique, quàm ſeipſum, quia nihil illi æquale eſt, cui ſe ſubmittere poſſit, ejus gratiâ velut ultimi finis laborando. *Omnia* ergo *propter ſemetipſum*, id eſt ad gloriam ſuam, neque enim ad commodum vel ad voluptatem, *operatus eſt Dominus*,

nus, Proverb. cap. 16. *Et gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam ſuam*, Deuteron. cap. 26. Unde neceſſariò conficitur, Deum debitæ ſibi ab hominibus gloriæ renuntiare non poſſe: niſi, quod fieri nequit. finem ipſe ſuum aſſequi non vult, ac deſtituit.

IV. *Dei glorificatio qualis?* Id nunc agimus, ut demonſtremus, à mortalium nemine tributum iſtud meliùs exſolvi, quàm qui voluntatem ſuam divinæ in rebus omnibus ſtudeat conjungere. Geminus enim modus eſt gloriæ Deo tribuendæ, ut vel ipſe Deum laudes, vel aliis materiam laudandi de te præbeas: id eſt ſcholaſticis verbis, ut vel Efficienter, vel Objectivè glorifices. Hoc ſolùm modo inanima, & rationis expertia, Deum laudant, intelligentibus creaturis argumenta laudum ſubminiſtrando: ideoque in Pſalmis ad eum benedicendum invitantur. Rationis autem compotes creaturæ utroque modo ſummi opificis honorem amplificare debent. *Videant*, inquit Chriſtus diſcipulis ſuis Matth. cap. 5. *opera veſtra*

bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Et D. Petrus epistolæ 1. cap. 2. hortatur Christianos ad virtutum exercitationem, ut Infideles, ex bonis operibus eos considerantes, glorificent Deum. En laudandi rationem objectivam. Efficienter glorificamus, vel internis actibus adorationis, submissionis, donationis: vel externis, voce aut gestu formatis, quò præsertim pertinent cantus sacri & cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Sita in conjunctione cum voluntate Dei.

V. Externa glorificatio vim omnem ac pretium sumit ab interna. Frustra enim lingua laudat, si mens non commendat. Itaque de illa hîc non agimus, cùm à malis peræquè adhiberi possit, quàm à bonis. Confitetur enim Deo impius, cùm benefecerit ei. At bonus Deum laudat, quidquid ei evenerit: laudat, inquam, voce interdum, semper corde, vocalissimo & suavissimo glorificationis divinæ instrumento. Cor enim ipsius rectum est cum corde Dei: vult fieri, quod Deus facit: fieri non vult, quod non facit Deus.

Atqui

Atqui constat, quidquid Deus facit, ab eo ad suam gloriam referri. Esse igitur nequit, quin Dei gloriam velit, qui vult quod vult Deus. Ampliùs dico, non gloriam Dei solùm spectari ab ejus mentis homine, sed etiam majorem gloriam. Dubitare enim non possum, quin Deus non gloriã modò suã, verùm & majorem gloriam intueatur in agendo: ejusque minùs studiosus non sit, quàm Sanctorum multi, quibus non honor Dei qualiscumque, sed summus semper ac perfectissimus pro fine propositus fuit. Illuc respexêre Divi Augustinus & Thomas, cùm dixerunt, optimum semper in omnibus à Deo fieri, ut partis 1. sect. 2. ad calcem adduximus. Idem, opinor, intuebatur, & expenderat, Henricus Suso apud Blosium in dictis Patrum, cùm pro virtutis consummatæ stabilissimo fundamento posuit: *Vitam eminentem, quâ Deus maximè glorificaretur, non in eo positam, ut quis affluat sensis divinis, & solatiis, sed ut evenire velit omnia, sicut à Deo eveniunt, & voluntatem suam in quibuslibet rebus divinæ submittat.*

VI. *Velis esse, quod es.* Quare ubicumque tamdem te posuerit, qualemcumque te fecerit, quo te cumque officio donârit, esto contentus. Si enim contentus non es, jam tibi satis non est, quod Deo satis est, qui tamen omnia ad gloriam suam refert, cùm propter se necessariò laboret. Potuit tibi Deus ingenium dare per omnes scientias agile, quale D. Augustino: sacrarum literarum intelligentiam, qualem D. Hieronymo: claritatem Angelicam, qualem D. Thomæ Aquinati: melleam & lacteam suavitatem, qualem Divis Ambrosio & Bernardo: linguam eruditam, ut posses solari eos qui confracti sunt corde, qualem D. Chrysostomo. Non dedit tibi, quia dare noluit, & noluit intuitu gloriæ suæ majoris, quàm in rebus singulis spectat: velis & tu istud, & voles majorem Dei gloriam. Potuerat tibi eximium zelum animarum inspirasse: ut maria enavigares, solitudines emetireris, saluti humanæ procurandæ; & illîc piscator hominum fieres, hîc venator, Apostolorum, Apostolicorumque

que hominum exemplo. Potuerat illustres generosa nobilitate parentes destinasse: ut in excelso loco virtutes tuæ illustriùs emicarent. Potuerat mentem scientiis civilibus implêsse, sagacitate acuisse, judicio firmâsse, moribus perpolîsse: ut intelligentia esses urbium ac provinciarum, & Reges ac regna regeres. Potuerat opes in sinum tuum congessisse, quantas largissima caritas in egenos numquam exhauriret. Potuerat tibi corpus efformasse laborum, vigiliarum, jejuniorum, dolorum tam patiens: ut Eliæ, Antonio, Hilarioni, Romualdo par, infligendis tibi ultrò suppliciis, incederes. Noluit istorum quidquam: rudem te fecit, & ignobilem, & pauperem, & infirmum: fecit, quia voluit: voluit, quia ad gloriam suam conducebat, neque enim aliter velle potest. Velis igitur esse quod es, & quod Deus vult, eaque ratione voles ejus gloriam: sin minùs, tantum ab ejus gloria aberras, quantum ab ejus voluntate, etsi tibi de fine bono blandiaris. Eliciet quidem Dei sapientia ex ipsis erroribus

roribus tuis gloriæ suæ fructum, sed tu illum non produxeris: pro ducturus tamen, si is esse maluisses, quem te destinârat, quàm quem te fingebas.

VII. *Ita Beati agunt.* Inter Beatos Angelos & homines magna est, quemadmodùm meritorum, ita & graduum ac beatitudinis inæqualitas. Summus Seraphinorum longè perfectiùs Deum cognoscit & amat, adeoque & perfectiùs laudat, quàm ejusdem ordinis medius: & hic perfectiùs infimo, ac sic deinceps. In hac varietate non tantùm nulla est invidia, quia unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium: sed neque ullum est desiderium, alio gradu aut ratione Deum glorificandi, quàm singuli locis suis faciant. Incidat fortè hæc cogitatio: nonne si in altiori sim beatitudinis dignitate, in clariori lumine, plus Deum laudem, quàm nunc? Illicò sibimet responderit Beatus: Deus hîc me esse voluit: vult autem Deus gloriam suam: ergo ex ejus gloria est, sic me esse. Eâdem cogitatione Beatus non modò nollet esse major, sed neque

que vellet peccata sua nesciri, erroresque, quorum caussâ amplior ipsi merces donata non est: quia ex eorum notitia Dei misericordis honor existit. Vt jam mirum non sit, Angelis perinde esse, quid in Universi rerúmve singulariun gubernatione agant, dum id agant, quod Deus vult. Tanti est Custodi genio infantis pauperculi curam gerere, quanti cælum inexplicabili pernicitate rotare, exercitus ducere aut fundere, populis & imperiis custodiendis præesse. Cùm enim unam Dei gloriam spectent, eamque in Dei voluntate sitam esse sciant, nîl aliud velle debent, quàm Deus velit.

VIII. *Sacrificium voluntatis.* Si ea consideratio nimis ad Theologiam mysticam videtur pertinere, & altioris esse indaginis: familiarem magis & obviam suggero. Ille Deum maximè glorificat, qui nobilissimum ipsi offert sacrificiorum omnium. Nîl autem est in homine nobilius voluntate, nîl altius, nîl liberius, nîl vastum magis & capax. Domina est facultatum omnium, eique intellectus ipse,

ipse, nedum potentiæ aliæ, anteambulonis instar facem prælucentis, famulatur. Sui autem ipsa juris est, nec cogi ab ullo potest: vi quantavis externa flecti, opprimíve nescit; solis cedit suavibus invitamentis, & rapi se sinit, quia gaudet. Denique immensi sinus est, & inexpleti, semperque ac semper nova desiderat, donec infinito satietur: omninò enim vult infinitum bonum, idque amat, & ejus capax est. Intelligentiæ vim mirabatur Gregorius Nyssenus, quod momento uno in cælos è terris subvolet, & immensa spatia cogitatione unica emetiatur ac complectatur. Plus tamen longè licet voluntati, quàm intelligentiæ: & multò aliter appetere ac desiderare possumus, quàm perspicere. Etsi enim voluntas non fertur in incognitum, non antè tamen necesse est perfectè rem intelligi, comprehendíve, quàm perfectè desideretur, sufficitque, ad hoc, ut vel tenuiter & ex umbra appareat. Itaque non in eo solùm voluntas intelligentiæ antecellit, quod hera est ac regina, & sui in agendo arbitrii,

sed

sed etiam quod agendo longiùs sese, latiúsque, potest extendere.

IX. *Nobilissimum omnium.* Versa te in quamcumque partem, & perpende, quid Deo sacrifices; quid hostiæ Eucharisticæ, aut holocausti loco, deferas. Pecuniam, aliaque extra te quælibet, frustra obtuleris, si tui ipsius nihil addideris. Neque enim tua petit Deus, sed te. Offer sanè illi linguam tuam, ejus majestatem prædicando; oculos, mirabilia ejus legendo ac spectando; aures, de ipsius laudibus audiendo; intelligentiam, arcana divinitatis contemplando: sed ante omnia cedò voluntatem, sine qua sacrificium perfectum non est. Ita Paullus, ad Hebr. cap. 10. Christum inducit loquentem: *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Nullum holocautoma suavioris est odoris Domino, quàm immolatio propriæ voluntatis. *Nihil gratius,*

tius, inquit Augustinus in Psalmum 131. *Deo possumus efferre, quàm ut dicamus, quod dicitur in Isaiâ, Posside nos*, & nobis utere velut re tua, in omnibus. Isaïas c. 62 mentem justi pingens sub civitatis Hierosolymitanæ imagine: *Vocabitur*, inquit, *tibi nomen novum, quod os Domini nominabit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis, Voluntas mea in ea.* Appelletur passim nobilissima illa civitas, *Ierusalem*, id est, *Visio pacis*: indigetetur à Baruc cap. 5. *Pax justitiæ, & honor pietatis*: nomen ejus sit apud Ezechielem cap. ult. *Dominus ibidem*: vocetur à Zacharia cap. 8. *civitas veritatis*: Altissimum inter omnia & excellentissimum civitatis Dei, & Christianæ mentis, elogium est, *Voluntas Dei in ea.* Heroïbus nostris & Heroïnis Christianis, ex admiratione virtutum varios titulos fecit pia posteritas. Theologos vocamus, Nectareos, Eleëmosynarios, Seraphicos, Angelicos, Malleos hæreticorum, Magnos,

Magi-

Magistros orbis. Doctores gentium, Dilectos discipulos, Amicos sponsi, Columnas fidei, Petras Ecclesiæ, Viros secundùm cor Dei, Patres fidelium, Homines justos atque perfectos in Scripturis legimus. Congerantur licèt in unum nomina id genus omnia, præ cunctis hoc erit, *Voluntas Dei in ea.* Prorsus ut de homine sic comparato Deus glorietur, velut de corona gloriæ, aut diademate regni.

X. *Admirationi est patiens.*

Neque enim homo ejusmodi in se solùm, & efficienter Deum laudat, sed etiã in aliis seu objectivè, ipsos virtutis suæ contemplatione & admiratione ad Dei laudẽ excitãdo. Eccli. c. 45. Siracides de vestimentis Pontificiis Aaronis loquens, *Sic pulchra,* inquit, *ante ipsum talia non fuerunt usque ad originem*, itaut mererentur nominari, *desideria oculorum ornata.* In illis maximè notandum, quòd vice fimbriarum circumpenderent tintinnabula trecenta sexaginta sex, ad numerum dierum anni unius. Factum id primùm, ut Summus Sacerdos, aliique per ipsum

ipsum monerentur, Deum non solùm singulis anni tempestatibus, mensibúsve, aut hebdomadis, sed etiam diebus omnibus, esse laudandum. Deinde, ut ad tot tintinnabulorum sonitum excitatus populus, Summum Sacerdotem in templum ingredientem spectaret: ipse interim, omnibus in se intentis, in unum Deum intenderet, eóque fine appensum in fronte super oculos gestaret tetragrammaton nomen. Ita cum illo agitur, qui quotidianum voluntatis suæ holocaustum, in templo divinæ gloriæ, summo Numini immolatum venit. Huc versùs oculos & admirationem cuncti conjiciunt, ut spectent hominem æquali vultu, ex Dei arbitrio, bona maláque fortunæ eventa excipientem, &, quacumque incedat, in unam Dei voluntatem defixum. *Ita affecti sumus,* inquit Seneca libro de Consolat. ad Helviam, *ut nihil apud nos æquè magnam admirationem occupet, quàm homo fortiter miser*: quantò magis apud nos, homo Christianè miser?

Nec

XI. *Et exemplo.* Nec ſterili ſolummodò admirationi eſt, ſed etiam incitamento ad virtutem. Unde putas mundus ita repentè ad Chriſtianam legem, naturæ difficilem, intelligentiæ arduam, ſuperbiæ deſpicabilem, inolitæ populorum conſuetudini contrariam, vitiis inter mores imò & inter numina repoſitis inimicam, converſus eſt? Patientia Apoſtolorum plus potuit, quàm vel miracula, vel verba: *ibant enim gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Poſt ætatem Apoſtolorum Martyres & Doctores floruêre: utriſque incrementum ſuum debet Eccleſia, plus tamen illis, quàm iſtis. Spectabantur ab Infidelibus pueri & puellæ, ſupra ſexum & ætatem fortes, calcatis voluptatibus, irriſis minis, in tormenta & mortem involantes, & caducis omnibus altiores. Attonitis ad ſpectaculi novitatem ſuccurrebat cogitatio, Deum quem Martyres colerent, præ quo vitam contemnerent, quem inter ipſa tormenta laudarent, magnum omninò eſſe & amabilem.

bilem. Inde, ut Tertullianus loquitur in Apologetico, *Semen erat sanguis Christianorum:* aut, ut ex Tertulliano Hieronymus transtulit, *Sanguis Martyrum, semen Christianorum.* Stobæo narrante, soliti Persæ in jus à Rege vocati, & ejus jussu flagellati, gratias agere, quòd sui meminissent. Ecquis ad istud spectaculi non dicat: En subditos mirandi in Regem suum affectus, aut reverentiæ: læsi non tantùm non queruntur, sed etiam gratias agunt? Contemplare Tobiam, non contristatum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, sed gratias agentem omnibus diebus vitæ suæ: audi Laurentium de se dicentem, *Ad ignem applicatus te Dominum IESVM confessus sum, assatus gratias ago*: quid de servis illis, à Domino percussis, & Dominum laudantibus, censebis?

XII. *Nobis ipsis.* Ex nobis ipsis æstimemus, quàm verum sit illud Divi Leonis: *Ad erudiendum populum Christianum nulla est aptior forma*, id est, non est potentius quidquam, *Martyrum eloquentiâ.* Adeamus

mus cum Episcopis Palladio, Dioscoro, Evagrio, octogenarium anachoretam, post sanatos aliorum morbos omnigenos, hydrope insanabili tumidum, & inter agritudinis molestias lætiorem, quàm aliàs umquam. Introspiciamus in alio tuguriolo anachoretam Stephanum, inter chirurgi manus, putria membra resecantis, ab opere storearum texendarum non cessantem, & gementibus, atque horrentibus cæteris, dicentem: Filii, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit, sit benedictus. Ecquis nostrûm à tali spectaculo non redeat animosior, & divinæ voluntati conjunctior, iteretque centies, Deus sit ubique & in omnibus benedictus? Ecquisnam, si quid Christianum ac divinum sapit, non lubens iter benè longum emetiatur, ut ejusmodi spectaculo pascat animum, & supra metus ac dolores erigat?

XIII. *Deo jucundum spectaculum.*

Præsertim cùm Deus ipse amet ac gaudeat illud contemplari, & veluti gloriæ suæ favens, sibimet inde applaudat. *Quàm pulcrum*, inquit,

inquit Minutius Fælix in Octavio, *ſpectaculum Deo! Cùm Chriſtianus cum dolore congreditur: cùm adversùs minas, & ſupplicia, & tormenta componitur: cùm ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens, inſultat: cùm libertatem ſuam adversùs Reges & Principes erigit, ſoli Deo, cujus eſt, cedit.* D. Stephanus, *operarius victoriæ Dei*, ut Tertullianus de Jobo loquitur, Corona Dei, & à Deo coronandus, cùm eſſet agni inſtar inter lupos, *intendens in cælum vidit gloriam Dei*: nîl aliud inter patiendum ſcilicet intuebatur, quàm quod vidit. In eo tota ipſius mens defixa erat, ut honor Domini creſceret, quibuſvis honoris ſui ac vitæ diſpendiis. Et ecce tibi JESUM ſtantem à dextris virtutis Dei: ſtantem, inquam, non auxilii tantùm, patrociniive, aut honoris cauſsâ: ſed etiam, ut eò pleniùs, & commodiùs, jucundo ſibi ſpectaculo fruatur, famuli ſui cum doloribus & morte congredientis. Solemus enim ad magna & repentina ſpectacula, ut ea meliùs oculis capiamus, exſurgere. Nec ſoli Stephano id contigiſſe, verùm

& Mar-

& Martyribus aliis, ait Cyprianus, epistolâ ad Martyres & Confessores: *Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen... O quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis, Sacramento ac devotione militis ejus, acceptum! Quàm lætus illîc Christus fuit! Quàm libens in talibus servis suis pugnavit, & vicit!*

XIV. *Et honorificum.* Legimus sæpè historiam Jobi, sæpiùs legi dignam, cùm digito Dei scripta sit, & quidem primo inter sacros libros loco, & à Mose, ut plerique existimant, ad solatium Israëlitarum, Ægyptiaca tyrannide afflictorum. Nonne capite 2. videatur, benè attendentibus Scripturæ verba, gloriari de Jobo Deus, & quasi applausum & gratulationem flagitare, quòd eum habeat servum, tam fidelem constantemque, ut in quibusvis calamitatibus iteret, *sit nomen Dominì benedictum? Considerasti*, inquit, *servum meum Iob*, quàm simplex & rectus sit, & post tanta mala *adhuc retinens innocentiam suam.* Id expendens Tertullianus, libro

de Patientia, magnificè more ſuo ait: *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo exſtruxit? Quale vexillum de inimico ſuo extulit? Cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore expromeret, quàm,* Deo *gratias... Quid? Ridebat Deus. Quid? Diſſecabatur malus. Cùm Iob immundam ulceris ſui redundantiam magnâ æquanimitate diſtringeret: cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus, & paſtus, foraminoſæ carnis ludendo revocaret.* Accidit in illo mirandæ tolerantiæ Heroë, quod deſignabat Seneca, libro de Providentia: *Nobis interdum voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum imperterritus pertulit, tantóque ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtior fecit... Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: ecce par* Deo *dignum, vir fortis, cum malâ fortunâ cõpoſitus, utique ſi & provocavit.*

XV. *Mala an optabilia.* Adeò gratum eſſe Deo ſpectaculum Seneca exiſtimat, congredientis cum calamitate viri fortis, ut illam non excipi modò, ſed etiam ultro

laceſſi

laceſſi & provocari velit: paullò aliter quàm ſcripſerat epiſtolâ 67. *Non ſum tam demens, ut ægrotare cupiam: ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effæminatè faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed virtus, quâ perferuntur incommoda.* Sic tunc Seneca ſentiebat. At Chriſtianus, imò verò, inquiet, ipſa incommoda optabilia ſunt virtuti perficiendæ, & gloriæ gaudioque Dei, ſi ſic loqui fas eſt, augendo. Deſideravit Chriſtus, cùm dixit ſe coarctari, id eſt votis affectibusque urgeri, & ſtringi, donec baptiſmus ſuus, ſic Paſſionem vocabat, perficeretur. Deſideravit Virgo, quæ, ut moriente filio plus doloris ex conſpectu hauriret, *ſtabat juxta Crucem*, &, quod de Chriſto Tertullianus dixit, *ſaginari volebat voluptate patientiæ.*

XVI. *Sancti deſideravêre.* Deſideravit exemplo utriuſque Catharina Genuenſis, quæ c. 50. Vitæ, inter extremos & acerbiſſimos dolores dicebat: ſunt anni ſex ſupra triginta, ex quo me amor illuminaſti, ab illo tempore nihil deſideravi, niſi pati

intùs & foris. Desideravit Catharina Senensis, quæ rosis neglectis spinas elegit. Desideravit Teresa, cui familiarissima vox erat, & intercalare in ipsis cantibus verbum, *aut pati, aut mori.* Desideravit Petrus de Alcantara, cujus apud Deum fermè quotidiana fuit petitio, ut sine afflictione aliqua numquam esse sineretur. Desideravit Alexander Luzzagius, D. Carolo Borromæo inter intimos amicorum, cui consuêtum unico sæpè calami ductu scribere ter, Pati, pati, pati. Desiderarent Beati genii, si qua in beatitudinem posset irrumpere patiendi occasio: quandoquidem, ut B. Franciscus Salesius censuit libro 5. epist. 38. nisi invidere nequirent, proculdubiò inviderent homini, pro quo pati Deus voluit, & qui pro Deo pati potest. Desiderari vult ab omnibus eximiæ perfectionis studiosis D. Ignatius, cùm in tribus sanctimoniæ, seu humilitatis ut ipse loquitur, gradibus, illum supremo loco ponit: infimum esse, horrorem quorumvis peccatorum, quantumvis veniabilium, præ morte ipsa: medium, indiffe-

indifferentiam mentis ad eventa quævis aspera aut suavia, prout honor Dei exigeret: tertium propensionem majorem ad aspera quàm ad suavia, quamvis inde ad gloriam Dei nîl aliud accederet, quàm imitatio Christi. Si nobis nondum satis animorum est, ut illuc aspiremus, consistamus saltem in altero gradu, & in quamvis partem Deo placuerit, parati simus: Davidis exemplo, libri Regum 2. cap. 15. generosè pronuntiantis, & ex animi sententia. *Si autem dixerit* Deus, *non places, præstò sum, faciat, quod bonum est coram se.*

SECTIO SECUNDA.

Fructus alter,

Meritorum seges ampliſsima.

I. *Gloria hominis ex Dei voluntate.*

GLoriam Deo accedere diximus, ex viri boni, Deo sese ubique aptantis, spectaculo: nunc etiam ipsi viro bono maximam inde gloriam nasci ostendemus, gloriam, inquam, veram ac germanam. Admirationi sit apud homines

vir fortiter calamitosus, laudetur, memoretur, etiam longè ad seram posteritatem: glorioſum id aliquis laudum aucupator putaverit. At nos illam omninò gloriam ponderamus, quam apud Deum meretur voluntas bona. *Gloria*, inquit Siracides Eccli. cap. 23. *magna est sequi Dominum*, ducentem quacumque lubuerit, per amœna, per lutosa; per plana, per salebrosa; per mollia, per aspera. Gloria certè magna hæc est: cùm excelsius nihil homini possit contingere, quàm placere Deo, ejus approbationem mereri, favoremque, ac gratiam sibi conciliare. Eâdem itaque operâ homo & suæ gloriæ laborat, & divinæ. Qua de re eleganter Augustinus libro 1. de Moribus Eccleſiæ Cath. cap. 13. explicans istud ad Rom. cap. 13. *Ipsi gloria*, &c. *Quid est*, inquit, *ipsi gloria, nisi ipsi optima, & summa, & latè patens fama? Quantò enim meliùs atque diffusiùs diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentiùs. Quod cùm fit, nihil aliud ab humano genere, quàm certo & constanti gradu in optimam vitam & beatissimam pergitur.*

II. Mul-

II. *Et utilitas.* Multa sunt, cur agere ac pati in Dei caussa longè consultius & optabilius sit, quàm in hominum quorumcumque, quantumvis potentium, gratiam. Ex præcipuis capitibus unum est, quòd hi plerumque non subditorum commodum intuentur, cùm illis pericula imperant, sed sibi solummodò consulunt. Ita Davidem Saul, Uriam David discriminibus objecêre. Deus verò subditis suis in hac vita nihil quidquam imperat, patiendúmve offert, quin illorum utilitas gloriæ suæ conjuncta sit: ut quisquis Deo servit, simul serviat sibi: & qui gloriæ divinæ patitur, commodo suo patiatur. Amabili Dei bonitate id factum: qui cùm homines ad obsequia sua citra ullam mercedem, aut spem utilitatis, potuerit obstringere; ita tamen omnia contemperare maluit, ut quod Deo honorificum est, simul sit homini salutiferum: quemadmodùm Eucherius sapienter ac piè epistolâ ad Valerianum expendit.

III. *Societas Dei & hominis.* Initur frequenter inter mercatores societas negotiationis, cujus

regulas Arithmetici tradunt, ut pro portione collatæ vel pecuniæ, vel operæ, quod exsistet lucri inter socios dividatur. Eò respexisse Joannem quidam existimant 1. epist. cap. 1. ubi dicit: *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.* Negotiandi consortium cum Deo mortales omnes, quotquot amici ejus sunt, inière. Non Deus solus, non homo solus laborat: qui enim te, ô homo, fecit sine te, non salvabit te sine te. Confert Deus impensas omnes in negotiationem, *operans*, gratiis tum excitantibus, tum comitantibus, *in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*, ad Philip. 2. Homo industriæ aliquid commodat, gratiis utitur, talentis sibi donatis alia superlucrari conatur. Negotiationis totius fructum partiuntur inter se socii: Deus qui plus multò in commune contulit, gloriâ solâ contentus, lucrum omne & commodum homini relinquit, id est, omne beatitudinis æternæ meritum. Agnoscat homo sese facultates omnes animi & corporis, & rectè illis utendi gratiam.

tiam à Deo accepisse, nihil attulisse de suo, quàm tenuem liberi arbitrii flexum; hoc gratitudinis & gloriæ tributo illi satisfecerit; cætera emolumenta, à liberalissimo & optimo domino ac socio concessa, sui juris faciat.

IV. *Conformitas cum Dei voluntate quæstuosissima negotiatio.*

At verò quodnam negotiationis genus utillimum est? Neque enim omnia sunt æqualiter quæstuosa: plurimùmque interest mercatoris scire ad lucrum, ubi operam fructuosiùs collocet. Facillimè tibi indicavero: in promptu est: passim nota & exposita utillima negotiationum omnium. Artes nostras non abdimus, uti mercatores faciunt, ne alii in lucra sua viis iisdem invadant. Nihil ad mercimonium spiritale; & ad comparanda lucra meritorum, compendiosius usquam invenies, quàm conformationem voluntatis humanæ cum divina in eventis omnibus, præsertim ubi adversa ingruunt. *Alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, & stella à stella differt in claritate*, teste D. Paullo 1. ad Corin. cap. 15. Varii sunt

beatitudinis gradus: varii utique & meritorum, quibus beatitudo respondet. Placet Deo maceratio corporis, accepta est oratio, jucunda eleëmosyna: meretur mercedem temperans, compensabitur justus, vir obediens loquetur victorias: magis tamen placebit merebitúrve nullus, quàm qui ad singula acquiescere Deo, & gratias agere consuêrit. Jobus fuerat oculus cæco, buccellam solus non comederat, viduæ oculos exspectare non fecerat, misericordia cum illo de ventre matris egressa fuerat, plus tamen quàm unquam Deo placuit paucis istis voculis, inter perpessu aspera emissis, *sit nomen Domini benedictum.* Id non timidè affirmo, quandoquidem in excelso consistunt patientiæ gradu, qui Deum etiam in malis laudare consueverunt. De patientia verò generatim pronuntiavit Bonaventura, libro de gradibus virtutum cap. 24. *Perfectius est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.* Et Blosius Institutionum spirit. cap. 8. *Etiam exigua molestia, propter Deum tolerata, incomparabili-*

ter

ter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia.

V. *Quæ voluntas perfectissima.*

Interpretetur forsan quispiam, isthæc dicta cum exaggeratione, ut nonnumquam ascetici & pii scriptores solent. Auctoritati itaque eatenus fidem tribuamus, quatenus rationes evicerint. Primam hanc statuo. Eò merita actionum majora sunt, quò à perfectiore voluntate proficiscuntur. Eò autem voluntas creata perfectior est, quò magis ad voluntatem increatam accedit, eíque sese applicat & accommodat, id volendo quod Deus vult, eóque fine quo vult Deus, id est propter ipsum. Quemadmodùm enim Intellectus divinus veritatis omnis regula est, sic voluntas divina bonitatis: quomodò falsum esse nequit, quod illi conforme est, ita nec malum quod ad hanc dirigitur. Imò sicut eò quidlibet verius est, quò propiùs summæ veritati conjungitur: sic tantò melius est, quantò viciniùs ad bonitatem infinitam admovetur. Quàm simillimum prototypo exemplar, absolutissimum est: murus, si

exactissimè perpendiculo respondet rectissimus: pavimentum quò ad normam aptius, eò planius. Quæ planissima, rectissima, consummatissima voluntas, nisi quæ prototypo, amussique, ac normæ accuratissimè conformatur? Ita meritò censuit Augustinus ad illa Psalmi 32. verba, *Rectos decet collaudatio. Quid est recti? Vt nihil illis displiceat, quod fecerit Deus: possint & in adversis Deum laudare, & dicere, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Tales rectos decet collaudatio, non primò laudaturos, postea vituperaturos. Discite gratias agere Deo, & in prosperitatibus, & in adversitatibus. Discite habere in corde, quod omnis homo habet in lingua, Quod vult Deus.*

VI. *Subjecta Deo voluntas.* Altera ratio, ad priorem accedens, ex Doctoris Angelici doctrina elicitur 1.a 2.æ quæst. 92. art. 1. in corp. *Cujuslibet subditi virtus est, ut benè subdatur ei, à quo gubernatur. Sicut virtus Irascibilis & Concupiscibilis in hoc consistit, quòd sint benè obedientes rationi. Et per hunc modum virtus cujuslibet subjecti est, ut*

benè

benè subjiciatur principanti. Et 2.a 2.æ quæst. 8. art. 7. in corp. *Quælibet res perficitur per hoc, quòd subjicitur suo superiori, sicut corpus per hoc quòd vivificatur ab anima, & aër per hoc quòd illuminatur à Sole.* Quam D. Thomæ doctrinam sic intelligo, ut inferius, subditúmve, eo ipso quòd imperanti, & superiori suo, subjicitur; tum se demonstret perfectionis aliquid habere in suo genere; tum perfectionis incrementum à superioris imperio vel operatione accipiat. Nam vis facultásque, ac perfectio ipsa superioris, eò amplius sese subdito infundit ac communicat, quò minùs illius actioni & influxui ab hoc resistitur. Appetitum inferiorem ejusque affectiones, si in rationis potestate sunt, & ad ejus nutum obedienter moventur, jam tunc ex se ad perfectionem accedere sentimus, & in dies obedientiâ perfici. Corpus eò magis sanum & absolutum esse agnoscimus, quò animi functionibus & imperiis obsequentius est : eisdemque obsequiis exerceri artus, firmarique, experimur. Aërem tantò puriorem esse, & simpliciorem,

rem, ac magis ſuum intelligimus, quantò lucem excipit apertiùs, tranſmittitque faciliùs: eadémque luce videmus puritatem ejus non conſervari tantùm, ſed etiam augeri. Iſtis, quæ exempli cauſſa à D. Thoma adducuntur, adde quotidiana in artefactis experimenta. Eò machinarum rotæ ſecundariæ & adminiſtræ finem ſuum meliùs aſſequuntur, quò ad primæ motum ſeſe promptiùs volvunt: eò habilior currus eſt, quò temoni obſequentior: eò melior navis, quò ad gubernaculi velique flexum velocior. Ita in homine ejusque voluntate, erga Deum voluntatemque divinam, res habet. Tantò enim perfectior homo eſt, magisque ac magis perficitur, quantò veriùs & cordatiùs ubique, & ad omnia, pronuntiare potuerit illud Pſalmi 61. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Dum enim ſe ſubjiciet; tum ſanitatem ſuam ipſa obediendi promptitudine teſtabitur; tum vim perfectionemque gubernantis, ſimul cum ejus motu & impulſu in ſe transfuſam, excipiet.

VII. Ad-

VII. *Altissima Caritas.* Adde rationem tertiam, prioribus affinem, iisque connexam: ibi plus esse perfectionis ac meriti, ubi plus est caritatis & amoris divini. Quemadmodùm enim, si caritas abest, ne excelsissima quidem virtutum heroicarum opera prosunt quidquam: ita, si adest, contactu suo inaurat omnia, & meritoria facit, etiam minimas indifferentésque actiones. Atqui nullum est consummatæ caritatis certius argumentum, quàm voluntatum conjunctio. *Nam eadem velle, & eadem nolle*, inquit Hieronymus, *hæc demum firma amicitia est:* Si eadem scilicet velis ac nolis in amici gratiam, non in commodum tuum; sive, ut vulgò loquimur, si amicitiæ amore movêris, non concupiscentiæ. Desideras intelligere, quàm à vidua Ruth socrus sua Noëmi amaretur? Audi dicentem cap. 1. v. 16. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Sic Eliæ adhærescebat Elisæus lib. 4. Regum cap. 2. *Vivit Dominus, non derelinquam te.* Judicavêre Josaphathum intimè ac sincerè Joramo

mo conjunctum, qui has ejus voces excepêre lib. 4. Regum cap. 3. *Qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui.* Utatur Christianus ex animo erga Deum similibus loquendi formulis; dubitârit nemo, quin maximè Deum diligat; &, quia ex caritate meriti pretium maximè augescit, quin plurimùm mereatur: etsi meritum non quærit; quia non se spectat, sed Deum.

VIII. *Canticum Canticorum.* Bernardus serm. 1. in Cantica, titulum illum expendens *Cantica Canticorum:* primùm ad literam dicit, sic vocari eximiè ac superlativè præ aliis scripturæ Canticis: quæ nudè ac simpliciter, sine comparatione vel prælatione ullâ, Cantica solummodò nominantur, uti Canticum Mosis, Annæ, Debboræ, Israëlitarum. Morali deinde sensu subjicit: in Vita spirituali & Christianâ, genera Canticorum esse varia: Canticum pœnitentium, Canticum ad vitia debellata, Canticum ad comparatas virtutes, Canticum ad actiones singulas ex virtute factas, nam *cantabiles mihi erant justificationes*

tiones tuæ in loco peregrinationis meæ: isthæc vocari posse Cantica graduum. *Sed est,* inquit, *Canticum, quod ex sui singulari dignitate & suavitate meritò cunctis, quæ memoravimus, & si quæ sunt alia, antecellit: & jure hoc appellaverim Canticum Canticorum.. Experti recognoscant, inexperti inardescant, desiderio, non tam cognoscendi, quàm experiendi. Non enim est strepitus oris, sed jubilus cordis: non sonus labiorum, sed motus gaudiorum: voluntatum, non vocum consonantia. Non auditur foris, neque enim in publico personat: Sola quæ cantat audit, & cui cantat, id est sponsus & sponsa.. Est quippe nuptiale carmen, exprimens castos jucundósque complexus animorum, morum concordiam, affectuum consensionem.*

IX. *Quantum patientiæ meritum.* Theologia quartam suggerit rationem, aut si voles additamentum aliarum. Communis in scholis sententia est, ubi par est voluntas, seu propositum, aut intentio, actu exteriori meritum valdè augeri. Exempli caussâ, de duobus, ex æquali caritatis actu inæqualem eleëmosynam largientibus, plus

plus apud Deum mercedis habiturum, qui plus dederit: de duobus, pro pœna culpis debita satisfacere satagentibus, jejunantem unum, altero non jejunante, plus facere. Atqui inter opera externa nihil augendo merito accommodatius, quàm advenientes nobis extrinsecùs calamitates, & aspera quævis, voluntati nostræ aut propensioni adversa. Primùm enim ex eo ipso quia adversa sunt, difficilia sunt, contraque niti oportet. Deinde ex optione nostra non veniunt, nihilque habent amoris proprii, quo pleraque operum nostrorum vitiantur, admistum. Hinc Bernardi verissima vox est, epist. 7. *Vera patientia est, facere quod non libeat: pati, vel agere, contra quod libeat.*

X. *Quanti pretii adversa.* Etiamsi ex illis rationibus benè ponderatis pretium toleratorum pro Christo adversorum satis intelligi possit: supervacuum tamen non fuerit, æstimatorum peritorum judicia exquisîsse. Qui Caroli Audacis miserè interempti gemmatum annulum, provinciæ ut aiunt integræ pretio contrà æstimabilem,

mabilem, repererat, argenteo imperiali aut circiter divendidit, quia rem ſuam nec nôrat ipſe, neque ab intelligente didicerat. Ne ſpiritualis mercimonii res nimis parvi fiant, & prodigè diſtrahantur, indicatio illarum à ſpirituali homine, qui omnia dijudicat, petenda eſt. Ejuſmodi fuit, avorum noſtrorum memoriâ, Ludovicus Bloſius, qui, in libello de Conſol. Puſillanimorum, moribundum inſtruens, quo ſe pacto ad mortem comparet, poſt propoſitam patientis Chriſti conſiderationem, D. Virginis patrocinium, aliaque id genus, ſubjicit exercitium Reſignationis cum hac maximæ ſuavitatis ſententia: *Si æger ſeſe ex pura dilectione, cum perfecta ſui reſignatione, ad omnem pœnam, pro honore divinæ juſtitiæ tolerandam, animo ſpontaneo obtulerit, ipſe neque infernum, neque Purgatorium ſubibit, etiamſi ſolus omnia totius mundi peccata commiſiſſet.*

XI. *Æſtimatores periti.* Si cui nimium dixiſſe Bloſius videbitur, comparet & expendat cum ejus verbis iſta Paulli, 2. ad Corint. cap. 4. *Momentaneum, & leve tribulationis*

bulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Brevius aliquid dixiſſe *momentaneo* non potuit, addit tamen *& leve*, ne de graviſſimis malis agi exiſtimes. Levi tamen iſti malo *pondus gloriæ* decernitur: momentaneo *æternum* rependitur: & id quidem *ſupra modum in ſublimitate*, excedens omnem cogitationis vim magnitudine ſua, ac duratione. Æſtima itaque, quanti ſit pretii quamvis exigua patientiæ materia, cui compenſandæ vix tota ipſa ſuffectura eſt æternitas. Argento & auro, metallorum nobiliſſimis, virtutes in ſcriptura adumbrari notiſſimum eſt, auro nominatim caritatem. Idcirco in Salomonis templo, præſertim in Sanctuarii adytis, quibus conſummatiſſima virtus ſignificabatur, aurea omnia: & civitatis cæleſtis, ubi perfecta caritas regnatura eſt, *plateæ* omnes ſunt *aurum mundum, ſicut vitrum pellucidum.* Quid auro, inquis, pretioſius? Quid caritate locupletius? Demonſtravit Paullus, *momentaneum & leve tribulationis.* Oſtendit Hieronymus,

mus, in cap. I. Ezechielis, ad illa verba, *de medio ignis, quasi ſpecies electri. In medio ignis*, inquit, *& tormentorum ſit electri ſimilitudo, quod eſt auro argentóque pretioſius: ut poſt judicium atque tormenta, quæ patientibus triſtia videntur ac dura, pretioſiùs electri fulgor appareat, dum Providentiâ Dei omnia gubernantur, &, quæ putatur pœna, medicina eſt.*

XII. *Pro omnibus virtutibus eſt cõformitas.*

Audio objicientem: verum quidem, ab adverſis conformiter voluntati divinæ toleratis meriti multum eſſe: at multum etiam meriti decedere, cùm virtutum aliarum exercendarum materia, occaſióve, ſubtrahitur. Pauper, caret eleëmoſynæ pretio: æger, orare nequit, jejunare non valet: tenuis ingenii & auctoritatis nullius homo, præſidio oppreſſis eſſe non poteſt, non erigit abjectos, non ſolatur mæſtos, non docet ignaros inſtruítve conſiliis, quæ tamen caritatis exercitia maximi apud Deum eſſe momenti, indubitatum eſt. Iſthæc objicienti, & quantum poteſt ejus generis opera multiplicanti, & exaggeranti

ranti, ad singula respondero: velle potest pauper quod Deus vult, plus est quàm stipem largiri: velle potest æger quod Deus vult, plus est quàm orare & jejunare: velle potest idiota quod vult Deus, plus est quàm Apostolicum munus fungi, & se in proximi obsequia impendere ac superimpendere. Nulla enim voluntas perfectior, quàm quæ Dei voluntati conformior, eique magis subjecta: amoris in Deum & submissionis testificatio nulla expressior, quàm idem velle. Quæ diximus probationi sufficiunt. Addere tamen possis, quod Cæsarius libro 10. cap. 6. narrat, & ex eo Drexelius, Heliotropii lib. 3. cap. 1. De religioso quopiam miraculorum patratore, eò mirando magis, quòd nîl eximiæ virtutis ostenderet. Rogatus à superiore quid hoc sibi vellet, & ipse mirari se dixit: aperuit tamen denique, studere se conformandæ in omnibus voluntati suæ cum divina: eoque interrogationibus perductus est, ut ad incendia, latrocinia, aliaque infælicia eventa sese vix commoveri fateretur: imò de futuris

rebus

rebus adeò parum angi, ut ne de infælici quidem æternitate esset solicitus. Si enim eò damnandus foret, aliud nihil sese postulaturum à Deo, quàm ut de se fieret æternitate tota, quidquid voluntas divina decrevisset: tantum ipsi hoc daretur, ut æternitate tota constaret ipsi eadem voluntas, quæ modò, ex Dei voluntate suspensa, & in ea conquiescens. Intellecto illo perfectæ voluntatis ac consummatæ virtutis miraculo, desiit interrogator mirari miraculorum patratorem.

SECTIO TERTIA.

Fructus tertius,

Excelsa tranquillitas animi.

I. *Pax animi beatitudo summa.* FErunt Alfonsum, Neapolis & Aragonum Regem, interrogatum, quæ summa sit mortalis hujus vitæ fælicitas, respondisse: non aliam videri majorem, quàm si quis semel ex animo Dei manibus sese permiserit, &

rit, & ab eo eventa singula vitæ mortalis excipiat. Rectissimè istud quidem. Tranquillior enim ejusmodi homine ac quietior nemo est, cũ in ipso fine omnium ac suo conquiescat, & stabili nixus stabilitatem, quanta hic haberi potest, adipiscatur. Major autem tranquillitate, quiete, stabilitate, quæ omnia voce unicâ Pacem animi nominamus, fælicitas hîc nulla est. Quamobrem D. Paullus, posteaquam Philippensibus commendavit, ut semper in Domino gaudeant, subjicit, *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra:* quasi dicat, quidquid vobis gaudiorum optavi, in pace situm est: nîl illâ serenius, nîl inter humana optabilius; summa est illa votorum meorum, & exquisitissima hujus vitæ beatitudo.

II. *Intus est.* Quis autem pacem hanc beatam possidet, nisi qui non turbatur? *Pacem*, inquit Christus, Joannis cap. 14. *relinquo vobis*, ô discipuli carissimi, istud vitæ hujus patrimonium à me accipite, interim dum pacis æternæ hæreditatem exspectatis: *pacem meam do vobis.* At quomo-

quomodò illam teneamus inter fluctuationes perpetuas, inter visu aspera, perpessu horrida, quæ nobis vaticinatus es? *Non quomodò mundus dat, ego do vobis:* non in externis hæret: intus est, in mente est: tumultuentur circa vos humana, bona aufferantur, ingerantur mala: pax nihilominùs vobis constabit, modò *non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Ecquis verò turbationem inter medias turbas non admittat; quis inter pavenda non timeat? Quisquis bona vitæ hujus non amabit, nisi quatenus Deus voluerit: qui uni divinæ voluntati affixus, cætera ut ex illâ suspensa intuebitur, accipere dimittereve paratus, quando illi placuerit.

III. *Turba à vanis desideriis.* Dicta hæc tibi à Christo, Christiane. Pacem habebis, si non turbetur cor tuum. Non turbabitur cor tuum, si vanam formidinem, aut, quæ formidini affinis est, tristitiam excutias: utramque proculcabis, si inania desideria, & spei humanæ frivola, vel penitùs ex animo abjeceris, vel parvi, ut sunt, feceris: Originem tranquillitatis

ut deprehendas, scrutare inquietudinis scaturiginem: *Contrariorum enim contraria est ratio.* Non dubitâris ex tuâ ipsius experientiâ, ni fallor, non aliam esse tibi metuendi caussam, nisi quia nimis desideras: non aliam mœrendi, nisi quia malè amas. Augustinus Sermone 2. de verbis Apostoli, exponens illud ad Eph. c. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: Dies*, inquit, *malos duæ res faciunt, malitia & miseria.... Cui autem molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti?* Prorsùs ita est: nihil homini molestius seipso: cùm se turbidis cupiditatibus vexat, aut inquietis affectibus torquet. Neque interest, exiguáne an magna sint, quæ nimiùm vel expetuntur vel diliguntur. Possit anachoreta ligneo vasculo vehementiùs affici, quàm D. Severinus supellectili sericæ & argenteæ, uti in hujus Vita apud Surium narratur. Possit puella delicata, aut puellus comptulus specillo vel pulvisculo magis capi, quàm Hesther mundo omni muliebri & ornatu Regio, quemadmodùm ipsa de se apud Deum cap. 14. profite-

profitetur. Quantula ergo cumque res fuerit qua tenêris, si nimium tenêris, turbarum tibi domestica & assidua occasio est. Quàm multa intercurrere possunt, quæ desiderium vel anteveniant, vel deludant, vel frustrentur, vel fraudent, vel suffocent? Quanti inde metûs ac tristitia, & illorum cognata turma invidiæ, iræ, spes, desperatio, angor, ægræ mentis fluctuatio, aliique intestini carnifices? *Non potest labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod invito non potest auferri*, ut Augustinus monuit in Psalmum 7. Torrente, quamdiu nihil obicis occurrit, vix placidior rivulus est: at ubi eluctandum est per saxa obstantia, furias fremitu & spumis egurgitat.

IV. *Voluntati hominis Deo conjuncti nõ resistitur.*

Itaque perpetuâ pace frui nequit, nisi qui vel desideria habet in potestate, vel cujus desideriis objici impedimentum non potest. Sic autem solus ille est, qui id statuit & didicit unicè velle, quod Deus vult, sive præsentia sentit, seu præterita meminit, sive futura prospicit. In cisternam à

fratribus cum Joſepho demittendus, deprecabitur quidem: ſed ſi nihil proficiet, ipſe ſibi quietus dicet, Deum ſic voluiſſe. Ægrotante filio, vota pro ejus ſalute faciet, ad Davidis exemplum: at, eo demortuo, ſiccabit lacrymas, quia conſtitutum ipſi eſt, nihil deſiderare extra Dei voluntatem, de qua jam ex eventu conſtat. Mittet cum Joſaphatho claſſes in mare, & ſalvas eſſe volet: ſic tamen, ut quando confractæ fuerint in Aſiongaber, à Deo id eveniſſe intelligat, accinatque tam pacatus, quàm poſt victoriam, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Militem inſtruet, ordines diſponet, omnia boni ducis implebit officia: ſed ſic, ut de ſucceſſu ſecurus dicat cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* Quidquid vult homo, in eum modum animo comparatus, ſemper accidit: id enim evenit, quod Deus vult: ille autem nihil vult, niſi quod vult Deus. Vult quod fit, vult quod eſt, vult quod erit, vult quod alii ſunt, eruntque, vult omnia præter peccatum: imò cùm

pecca-

peccatum Deus permittat, nec permittat, nisi aliquomodo volens, & ipse sese aptat permittentis voluntati, sinitque ab aliis fieri, quod prohibere non potest. Hunc cupiditati ac voluntati modum ratio posuit, religio firmavit; ut quod in nobis est, seriò cum Deo velimus; quod in nobis non est, quietè à Deo excipiamus, vel exspectemus. Sic fuit cantatissimus ille mendicus, qui, ex Tauleri narratione multorumque aliorum deinceps, malum nullum unquam sibi diem obtigisse affirmabat, propterea quòd dies omnes eos voluerat, quomodò evenerant. Tales illi sunt, de quibus Salvianus loquebatur l. 1. de Provid. *Humiles sunt? hoc volunt. Pauperes sunt? paupertate delectantur. Itaque quidquid acciderit eis, qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumvis aspera, nulli sunt lætiores, quàm qui hoc sunt quod volunt.*

V. *Inde tranquillitas.*

Antè diximus, Hierosolymitanæ civitati honorificentissimam appellationem dari ab Isaia cap. 62. *Voluntas mea in ea.* Mens humana, cui ti-

tulus idem adscribi potuerit, *Voluntas mea in ea*, verè *Ierusalem* est, & *visio pacis*: posuit Deus fines ejus pacem, & confortavit seras portarum ejus. Conquerebatur Seneca, initio libri ad fratrem Gallionem de Vita Beata: Vivere omnes beatè velle, sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligare. Caligent alii ad iter beatitudinis: at certè quisquis Dei volũtatem intuetur & amat, in ipsa beatitudine est, quantum mortalis vita capere potest. Non tu fortunâ ipsâ fæliciorem existimes, qui hunc in modum animitus loqui possit? *Deum precor, ut mihi det emori passionum tyrannide liberum, ita ut ipsi sincerè dicere valeam: O Deus, umquámne de consiliis tuis questus sum: umquámne ausus aliquid reprehendere à te profectorum? Ægrotavi, quia voluisti: ægrotavêre & alii: ego quidem lubens ac volens. Ad pauperiem devêni te volente: paupertate lætatus sum. Aliis non imperavi, non eminui: méne idcircò vidisti tristiorem? Nonne læto vultu & alacri mente coram te semper incessi, jussis omnibus tuis obtemperare paratus?*

Vis

Vis modò, ut à conſeſſu & corona diſcedam: abeo lætus, gratiásque ago, quòd me ad operum tuorum ſpectaculum admiſeris, aliquámque gubernationis & adminiſtrationis tuæ cognitionem dederis. Utinam hæc me cogitantem, ſcribentem, legentem mors occupet.

VI. *Etiam in ſubitis caſibus.* Si tibi nondum in mentem venit, aut in memoriam rediit, cujus illa ſuaviſſimæ ac generoſiſſimæ voces ſint: rogo te, diſquire apud te, à quo profectas eſſe conjicias. An à Franciſco forſan Saleſio Gebennenſi Epiſcopo, quem nuntius de cariſſimi parentis morte, in ipſo ad ſuggeſtum & concionem aſcenſu, nîl penitus commovit: cui dilectiſſimi fratris inexſpectatus obitus hæc verba ſolùm expreſſit, *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti?* An à D. Carolo Borromæo, quem, inter graviſſimos caſus, perpetua quies animi, & vultûs æqualitas adeò comitata eſt: ut fidiſſimi amicorum, ac domeſticorum intimi, nullum unquam vel minimi motûs indicium notârint: niſi quod interdum, ubi atrocia

quædam nuntiabãtur, indice naſum paullíſper confricaret? An eæ voces Chriſtiani ſaltem cujuſpiam tibi videantur, de Providentia divina ad ſingulos caſus cogitare edocti? Ab Epicteto profecta ſunt, apud Arianum, diſſertationum l. 3. cap. 3. Ut ab illo, quamvis Pagano, diſcere poſſimus, veriſſimè dictum à Salomone, *Proverb. cap. 8. Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.*

VII. *Quàm excelſa.* Iſta eſt, quam Seneca libro de Tranquillitate dicebat, *Alta Securitas*; non in labiis tantùm efflorescens, & ad aures facta; non in genis ſolùm picta, & oculis blandiens: ſed in intimis animi ſita, in corde nata adultaque, & inde ad faciem promicans, compoſitæ mentis indicium. Qui eam habet, *iſte*, ex Iſaïæ ſententia cap. 33. *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Magnitudine animi, quæ D. Thomæ 1. 2. quæſt. 66. art. 4. ad 3. & 2. 2. quæſt. 129. art. 4. ad 3. *eſt ornamentum virtutum omnium:* eâ ergo animi magnitudine ſupra omnia mutabilia elatus, &

ſub

sub pedibus non modò meteororum regionem, & tempestatum, tonitruumque, ac fulminum officinas despiciens, sed cælos ipsos ac sidera, nihilque habens supra se nisi Deum, in vivis eo loco est, quò post mortem abîsse fingebatur poëticus ille opilio, *sub pedibúsque videns cælos, & sidera Daphnis.* Quare, *si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ*: imò ne ferient quidem, cùm excelsitate mentis ad divinam voluntatem applicatæ, sese supra ruitura, adeoque supra ruinas, extulerit. Altiúsne evehi possit, ut caducorum lapsus non sentiat, quàm si in ipsa Dei facie, non in sinu tantùm, collocetur? Ibi positos esse viros probos sacer Vates affirmat, Psalmo 30. *Abscondes eos*, ô Deus, *in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, à contradictione linguarum.* In abscondito faciei divinæ sunt, quam eventa nulla lædunt, nulla mutant, quia ipse sibi Deus sufficiens est, nec rebus indiget, neque à locis pendet, nec temporibus rotatur, idem semper & immotus. Ita quibus Deus ejusque voluntas sufficit, fa-

ciem cum Stephano Angelicam, imò divinam induêre, nec rerum viciſſitudinibus ſervientem, nec mutationibus obnoxiam, quia ab immutabili colorem ſuum trahit, ſtatumque.

VIII. *Non tamen infrequens.* Specioſa, inquis, iſta ſunt & magnificè dicta: at quis in eâ naturæ infirmitate, & rerum affectuumque aſſidua viciſſitudine, eò veniat quietis, & æquabilitatis? Venerat Regius Pſaltes, cùm de ſe caneret Pſalmo 4. *Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Non dicit, ut vigilanter advertit Chryſoſtomus, tribulationem ſuſtuliſti: ſed in ipſa tribulatione latum, ſecurum, tranquillum cor dediſti: eum quidem in modum, ut, quod de ipſo ſcripſit Hilarius in Pſal. 53. *Proditus oret, periclitans pſallat, patiens odia gratuletur.* Eò venêre Apoſtoli, quos jam antè Chriſtus præmonuerat, *Videte ne turbemini, nolite terreri, oportet enim hæc fieri:* itaque *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Venêre illuc

Marty-

Martyres, inter minas ſecuri, inter metus intrepidi, inter tormenta doloresque læti: de quibus ſuum iſtud, in libro de Mortalitate, ingeminet Cyprianus, *Quanta ſublimitas, inter ruinas generis humani ſtare erectũ!* Eò venit D. Martinus, qui cùm in latronum turmam incidiſſet, tam illîc quietus ſtetit, quàm in cœtu monachorum, aut cuneo prophetarum: quia, ut ipſemet ea de re interrogatus reſpondit, hoc apud ſe firmiſſimè ſtatuerat, pati quidquid Deus vellet.

IX. *Etiam in aulis.* Ad idem faſtigium aſcenderat, inter aulæ delicias natus & educatus, D. Elzearius Arianenſis Comes, qui Neapoli in Provinciam Phocæenſem navigans, periclitante per fædiſſimam tempeſtatem navigio, attonitis & emortuis metu cæteris, ſolus ipſe immobilis orare perſeveravit. Rogatusque ab uxore, poſtquam venti poſuerant, an in eo terrore homo eſſe deſiſſet: non equidem, inquit, ſed me voluntati divinæ tradideram, paratus, vicem vectorum omnium, hauriri fluctibus, ſi vitæ noſtræ domino

placuiſſet. Eodem tranquillitatis perveneratˌ aulicorum togatorum exemplar, Thomas Morus: cùm ad nuntium abſumpti incendio horrei frumentorumque reconditorum, uxorem ſtatim per literas monuit, ita Deum voluiſſe, iret cum familia ad templum actura gratias. Cùm autem juſſu impii Regis captivus teneretur, cariſſimæ filiæ Margaretæ ſuadenti, ut, ad obtinendam libertatem, Regi aliquid & gratiæ daret, timendum enim ne nimia conſtantia malis denique obrueretur: graviſſimè reſpondit: Contingere nîl poſſe, quod Deus nolit: quidquid autem ille vult, utcumque malum nobis videatur, optimum tamen revera eſſe: inter calamitatum quarumvis impulſus, de auxilio Dei nolle diffidere, quantumcumque imbecillem ſeſe ſentiret: etiamſi animum ſuum conſternari procellarum horrore contingeret, memorem tamen illius fore, qui cùm mergi cæpiſſet, clamavit, *Domine ſalvum me fac.* In eâdem animi quiete nuper conſiſtebat Chriſtianæ nobilitatis ſpeculum, Gaſto Rentiacus, ex

intimo

intimo animi sensu dicere solitus, accidere nihil posse quod nollet, & quo turbaretur. Nec fortiùs dicere solitus, quàm facere: cùm graves jacturas, molestissimas lites, frequentes morbos, subita incendia, aliaque tristium eventorum, æquali semper vultu, & eodem quo lætitiam ac fælicitatem aspexerit, ex quo ad excelsam virtutem à Deo vocatus, ejus voluntatem in omnibus cæpit intueri.

X. *Fidendum Deo.* Quid aliquos commemoro? Eò pertigerunt omnes, qui Providentiæ Dei totos sese permisêre, &, ut id facerent, fiduciam de forti illius ac suavi ductu habuêre. Supra petram hanc fundati, inundationibus procellisque obsistunt, dum arenaria ædificia flatibus & aquis subruuntur. Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur, etsi aliorum montium cacumina terræmotibus vacillent, hient latera, tremant fundamenta. Nec mirum, cùm Sionis habitator & protector sit Dominus, & mentes Sioni similes præsidii sui spe certa contra incurrentia omnia

nia ſtabiliat. Rex Iſraëlitarum Jehu, libro Regum 4. cap. 10. Jonadabo ſibi occurrenti: *Numquid*, inquit, *eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo.* Cùm eſſe Jonadabus reſpondiſſet: *Si eſt*, inquit, *da manum tuam. At ille levavit ad ſe in currum, dixítque ei, veni mecum.* Ita nobiſcum agit Deus. Si cor noſtrum rectum eſt cum corde ejus, ſi voluntas noſtra rectiſſimæ ejus voluntati aptè reſpondet: manu auxilii ſui manum infirmitatis noſtræ apprehendit, levat nos ad ſe, curru gratiæ ſuæ vehit nos, jungit ſe nobis, & nos ſibi, aitque, quod Patriarchæ Iſaaco Geneſ. cap. 26. *Noli timere, quia ego tecum ſum.* Et verò, ut monet Auguſtinus in Pſal. 36. *Protegitur Imperator ſcutatis, & non timet: protegitur mortalis à mortalibus, & ſecurus eſt: protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit?* Nautæ inter procellas trepidanti fiduciam dedit vox illa temerarii Imperatoris: Quid times? Cæſaris fortunam vehis. Quid tu, homo Deo credens & credite, in mediis licèt naufragiis & mortibus timeas,

qui

qui non hominis unius fortunam vehis, sed ab ipsa Dei tui providentia veheris, & in ejus gloriæ rate, velut in Noëmi arca, navigas?

XI. *Securitas fiduciam sequitur.* Ex generosissimis magnanimi Apostoli vocibus hæc una est, ad Philip. cap. 4. *Scio humiliari, scio & abundare: ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esuriri, & abundare, & penuriam pati.* Tantæ æquanimitatis & tranquillitatis, per tam varios eventus, caussa est, quia *omnia possum in eo, qui me confortat.* Ei me permitto, ei fido, in eum me projicio, qui nunquam derelinquit sperantes in se, nec se subtrahit innitentibus sibi. Christus posteaquam Apostolis dixit, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet: audistis*, inquit, *quia dixi vobis, vado, & venio ad vos.* Quasi diceret: præsentia mea ac protectio vanos vobis omnes terrores excutiat: adsum, etsi non conspiciar; juvo, licèt non sentiar; non discedo, quamvis discessum minari videar. Eleganter Isaias cap. 7. Regi Juda, Reges duos Hierosolymæ cum validis copiis imminentes

minentes metuenti, ait: *Vide, ut fileas, noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum.* Quid omnia sunt hujus vitæ terriculamenta, quàm fumosi titiones, uno difflandi spiritu, uno pedis impulsu proterendi, unius guttulæ aspergine extinguendi, cùm Deus voluerit? Idcircò idem Vates monuit, ut speremus in Domino Deo forti in perpetuum: nulla nos hora, momentum nullum, fiduciâ suavissimæ ac fortissimæ providentiæ destitutos inveniat.

XII. *Et sanitas animi.* Fontes duos attigimus beatæ tranquillitatis: primus profluit intrinsecùs, alter affluit extrinsecùs: ille existit ex desideriorum moderatione ad regulam divinæ voluntatis: hîc oritur ex fiducia protectionis divinæ, quæ hominibus, sese Deo permittentibus, deesse non potest. Siracides, Eccl. c. 30. dicebat, *Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Sanitate corporis bonum inter corporea majus nullum est. *Valdè vellet*, inquit Augustinus Serm. 12. *dives le-*

ctulo

tum argenteum mutare cum pauperis cilicio, si ægritudo posset migrare cum lecto. Et Serm. 1. de diversis: *Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet quid prodest diviti?* Quid tamen ista sanitas, communis homini etiam cum *draconibus & vermiculis*, ut ibidem ait Augustinus, præ gaudio cordis animique sanitate? Corporis sanitas in recta humorum temperie, & membrorum consonantiâ, sita est: animi valetudo consistit in contemperatione affectuum, & dispositione voluntatis Deo obtemperantis, appetitui imperantis. Hoc autem ipsum est, hominem esse bonæ voluntatis. Itaque istiusmodi hominibus proprium peculium est gaudium cordis, sanitas animi, tranquillitas mentis. Vel nusquam in hac mortali vita pax vera inveniri potest: vel ab illis in solidum atque impertubatè possidetur: ab aliis tam frustra quæritur, quàm pisces in silvis, in mari feræ, ut Boëthius aiebat.

XIII. Per-

XIII. *Brevis perturbatio pro nulla est.*

Pergat objicere quiſpiam, iſtorum inexpertus: perpetuam illam pacem, & æquabilitatem animi, longè eſſe miſeræ infirmæ mortalitatis ſorte ſuperiorem. Etiam Jobo, quali tamen in aptanda Numinis decretis mente heroï, hæc verba excidiſſe, *Tædet animam meam vitæ meæ.* Etiam Eliam, Deus bone quantum virum! vi mœroris appreſſum dixiſſe, *ſufficit mihi, Domine, tolle animam meam, nec enim ſum melior, quàm patres mei.* Imò & generoſum Paulli, ignei Apoſtoli, pectus eò adductum, ut *tæderet etiam vevere.* Ad iſta reſpondero: non ideò corpus ſanum non eſſe, quia levi interdum catarrho ſeſe caput exonerat, aut ſubitâ febriculæ ſuſpicione arteria ſuccutitur: neque animum ideò tranquillum non eſſe, quia aliquando leviculâ vel momentaneâ commotione agitatur, mox poſiturâ, ſimul ſeſe ad Dei voluntatem converterit. Eidem objectioni Ambroſius ſimili formâ reſpondit, Officiorum lib. 3. cap. 5. *Eſto in illis*, hoc eſt in laboribus, *aliquid acerbitatis.*

Quem

Quem virtus animi non abſcondit dolorem? Neque enim profundum mare negaverim, quia vadoſa ſunt litora: neque cælum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus: neque terram fœcundam, quia aliquibus locis jejuna glarea eſt: aut lætas ſegetes, quia intermiſtam habere ſolent ſterilem avenam. Similiter puta, beatæ meſſem conſcientiæ interpellari acerbo aliquo dolore: tamen manipulis vitæ beatæ, ſi quid fortè accidit adverſi atque amaritudinis, tamquam ſterilis avena abſconditur, aut tamquam lolii amaritudo frumenti ſuavitate obducitur. Dixeríſne pulcrum non eſſe corpus, quod unicâ verruculâ nævóve notatum eſt, ſi partes omnes aptæ inter ſe, cum grata coloris miſtura, reſpondent? Negaveríſne illimem eſſe fontem, etſi aliquando ex imo arenulæ pauxillum, cum limpida ſcaturigine, ebulliat? Diémne ſerenum non fuiſſe affirmes, ſi vel uno tantùm, ut vocant, minuto Sol, cætera lucibus, ſeſe oculis tuis ſubduxerit? Neque inficias ieris, animi Deo conjuncti ſerenitatem, ac tranquillitatem, conſtantem perpetuamque dici oporte-

re:

re: &, breve interdum tædium ſubrepat, aut puſillanimitas momentanea ſeſe inſinuet, aut mœror illicò deſiturus mordeat, aut metus ſtatim diſſipandus concutiat. Quare, ô homo bonæ voluntatis, ut Eliphaz Jobum ſapienter monebat cap. 22. *Acquieſce Domino, & habebo pacem.*

EPILOGUS

Dicta omnia recensentur.

1. *Summa dictorũ.* MATERIAM omnem Bonæ Voluntatis attigimus, Fundamenta, Usum, Adjumenta, Effecta: &, ordini commendando, ac juvandæ memoriæ, ternario singula comprehendimus. Fundamenta sunt: res creatas singulas à providentia divina gubernari: etiam minutissimorum curam illi esse, adeóque fortuitum nihil accidere, sed omnia ex destinato fieri: peculiarem tamen de homine, præsertim probo, inter omnia Deo curam esse. Hinc consequitur: acquiescendum Deo ejusque justissimæ misericordiæ, in eventis quibuslibet, etiam malis, etiam illis quæ à mala hominum voluntate proficiscuntur: cùm in calamitates incidimus, fidendum, fore ut vel illis liberemur, vel ut nobis utiles sint, si maneant: in omnem partem

ad ventura quævis paratos esse nos debere, & à divinæ Providentiæ nutu suspensos. Quò sit nobis facilius tam arduæ virtutis exercitium, consideremus, Providentiam divinam nîl aliud esse, quàm Optimam Æquitatem Sapientissimè Potentiâ ineluctabili utentem ad fines suos: contrà, providentiam humanam cæcam esse, malignámque, & infirmam: denique infæliciſſimos esse mortalium, qui obluctari Deo conantur. Iis autem, qui sese ad arbitrium aptant supremi moderatoris, pulcerrimos fructus matureſcere, Dei gloriam, plurimum meriti, ſecuriſſimam pacem.

II. *Fundamenta Resignationis.* Si credimus, quod neſcire nos ratio non ſinit, & oracula divina prædicant, omnia in menſura, & numero, & pondere à Deo diſpoſita: non poſſumus etiam ignorare, ad eum pertinere vel minimorum curam, ſignatosque caſus omnes à pervigili illa, & in partes omnes infatigabiliter intenta ratione. Deliciæ tamen illius ſunt esse cum filiis hominum, quorum cauſsâ rerum corpo-

corporearum cætera,& omnis ille ſpectabilis Univerſi apparatus, atque ornatus, prodiêre. Familiaritas autem præcipua inter filios hominum illi eſt, cum his, qui uſi ſunt poteſtate ſibi data, ut Filii Dei fierent. Oculi quidem Domini contemplantur bonos & malos: ſed etiam ſingulariter oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Videas aliquando à bono patre ad excipiendum filium Prodigum epulas inſtrui: at primogenito dicitur, *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Juſtis Dei nomine dicit D.Paullus 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

III. *Manus Dei adſpicienda.* Chriſtiana mens, certiſſimis illis cogitationibus munita, placidè eventa quælibet de Numinis manu excipiet, tamquam benigni patris, potentis domini, ſapientiſſimi ductoris, æquiſſimi judicis. Et quamvis interdum malæ hominum voluntates intercurrant,

ſciet

sciet tamen, quod Augustinus monuit Enchirid. cap. 96. Nihil fieri *nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo:* & cap. 100. *Deus quasdam voluntates, utique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per Iudæos malevolos, bonâ voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.* Non carnificem plectentem adspicit, sed Judicem pronuntiantem: non iter salebrosum, sed Ducem præeuntem: non nuntium mandata deferentem, sed Dominum imperantem: non virgam pungentem, sed Patrem ex amore ferientem: & ad omnia, bona juxtâ ac mala, assuescit dicere cum Josephi fratribus, Geneseos cap. 42. *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Latro fecit, fecit Deus: calumniator fecit, fecit Deus: Susurro fecit, fecit Deus: vitilitigator fecit, fecit Deus: homicida fecit, fecit Deus: perduellis fecit, fecit Deus.

IV. Imò

IV. *Gratia cum fiducia, Deo agendæ: Indifferentia servanda.*

Imò ad singula *Deo gratias* dicere assuescet: quas voces ut in ore sæpè habeamus, suadet Augustinus in Psalmum 132. & Clericos suos ac monachos sic instituerat, ut ad occursum mutuum eas pronuntiarent. Quandocumque Deus nobis occurrit, sive abblandiens, seu minabundus, dicamus illi, *Deo gratias*: nec dubitemus, malum qualecumque beneficio mutatum iri, si postquam ipsum oraverimus, & quæ licent remedia adhibuerimus, malum non tollat. Ob caussam eamdem in futurum, quamdiu de Dei voluntate nobis non constat, libranda voluntas nostra est, & in neutram partem, quantum fieri potest, flectenda. Qua de re benè Bernardus, Sermone, Quomodò voluntas nostra divinæ subjici debeat: *Rogo vos*, inquit, *diligenter attendite, quia nihil occurrit, quod utilius possitis audire. Vbi certa est voluntas Dei, etiam nostra sequatur. In his verò rebus, in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat, pendeat inter utrumque*

que, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper, ne fortè altera pars magis Deo placeat.

V. *Quomodò agat Dei Providētia.* Ut ad tam sublime fastigium humana mens enitatur, frequenter quaternos contempletur divinæ Providentiæ vultus: Sapientiam, suaviter omnia disponentem: Potentiam, attingentem fortiter ad finem à fine: Justitiam, summa æquitate mala infligentem: Bonitatem, ad optimos fines singula referentem. Hanc potissimùm spectari volebat Hieronymus epistola ad Paullam de obitu Blæsillæ: *Bonus est Dominus, & omnia, quæ facit bonus, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur? Plango quod accidit: sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius? Durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat... Sanus sum? Gratias refero creatori. Langueo? Et in hoc laudo Domini voluntatem.* In morbis, in orbitate, in viduitate, in quibusvis humanæ vitæ casibus, æquanimis est vir bonæ voluntatis, quia id revoluit in animo: *Bonus est*

est Dominus, & omnia quæ facit bonus, bona sint necesse est.

V. *Insania & infælicitas fortunam sibi fingentium.*

Sed & hoc novit: insanos esse, qui suam sibi fortunam fingere & componere malunt, quàm à Deo accipere: quasi vel se ament, quantum amantur à Deo; vel sapiant & pervideant utilia ac justa, ut Deus; vel Dei instar, cogitata ad effectum possint perducere. Neque insani modò sunt, sed etiam miserrimi, cùm id cogantur esse, quod nolunt. Dicebat Cyprianus libro de Pudicitia: *Semper est misera, quæ sibi non placet, qualis est.* Idem de homine quolibet, in quavis fortuna constituto, dixeris: miser est, qualiscumque & ubicumque sit, qui sibi non placet. Itaque qui semetipsum cruciare non vult, esseque sibi tortor equuleúsve assiduus, faciat, quod à Seneca monetur, epistolâ 107. *Hyems frigora adducit, algendum est. Æstas calores refert, æstuandum est. Intemperies cæli valetudinem tentat, ægrotandum est. Et fera nobis loco occcurret, & homo perniciosior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis*

eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita feramus, & naturæ consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt: turbantur maria, cùm quieverunt: flant invicem venti: noctem dies sequitur: pars cæli consurgit, pars mergitur: contrarius rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat, & quæcumque fiunt fieri debuisse putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.... Hic est magnus, qui se Deo tradidit. Velis, nolis, ferendum est: cave onus exaggeres, ferre nolendo: &, quod longè gravius erit, cave ne tibi suppliciorum alterius vitæ pondus imponas, levia hujus pati recusando.

VII. Quan-

VII. *Prævenienda futura mala præsentium patientiâ.*

Quantò prudentiùs pœnæ illæ forti præsentium calamitaũ tolerantiâ anteveniantur, ac redimantur? Quod præstitit Orientis Imperator Romanus Diogenes, apud Baronium, ex Curopalatæ narratione, anno Christi 1071. Vicissitudine fortunæ admirabili ad ima dejectus, inde ad summa evectus, rursum de summis ad infima deturbatus, in hoc lamentabili casu ita se gessit, ut Tobiam simul & Jobum exhihuerit, bina priscorum sæculorum maxima in patiendo exempla, tantò in homine uno spectabiliora, quantò fuerat excelsior. Perduellionis damnatus à Cæsare, lenitâ criminis pœnâ, aliquamdiu exulavit. Ab exilio revocatus, militiæ, ad tuendum adversùs barbaricas irruptiones imperium, præfuit. Imperatore demortuo, à vidua Imperatrice in thalami simul & dignitatis consortium adscitus, quadriennio fermè rexit imperium. Adversùs Asanum denique, Turcarum Dominum Sultanúmve, cum copiis progressus, pace, quam ultrò bar-

barus offerebat, recusatâ, post forte certamen à suis, fanatico terrore perculsis, repentè desertus, in hostium potestatem vênit. Honorificè ab Asano habitus,& honestâ pace fœdereque icto, dimissus ac deductus, in itinere per Andronicum captus est, Michaëlis Imperatoris jussu, quem mobilia Græcorum ingenia, ad cladis nuntium, Imperatorem salutârant. Inde Constantinopolim in mulo, & in pullâ veste, ad triumphi ludibrium invectus, & effossis oculis ad perpetuas tenebras damnatus, id saltem ex cæcitate miserandi commodi habuit, ut ludibria non videret. Audiebat tamen convitia, quibus aures ab insolente plebe vapulabant: fœtorem putrescentium absque medicina vulnerum hauriebat naribus; sentiebat ebullientium inde vermium erosiones,& quamvis non cerneret, sese pro ostento ac monstro spectari sciebat. Inter tot probra, doloribus acerbissimis cumulata, numquam de ullo conqueri auditus est, nedum probra rependere, imprecationésve in noxia capita effundere: id solum

ferè

ferè in ore habebat, Deo gratiæ. Ita constanter ad mortem usque perseveravit: insigne humanæ conditionis, ex altissimo gradu ad infælicitatis infima devolutæ, spectaculum: sed longè illustrius æquanimitatis Christianæ, in malorum quorumlibet sensu Dei paternam manum aspicientis, & deosculantis exemplum.

VIII. *Dei laus ex consonantia voluntatum.*

Luscíniam ferunt, aliàs numquam clariori voce, suaviorique, cantum modulari, quàm ubi acantho spínæve insederit. Verúmne id sit, viderint, qui narrant. Hoc certum, à canora cæli volucre virtute Christiana, numquam gratiùs ac modulatiùs Dei laudes concini, quàm divinæ humanæque voluntatis consonantiâ, in acantho calamitatum & spinis adversorum. Canticorum Canticum illud est, jucundissimum auribus sponsi, ejusque sodalibus: longè latéque resonans ex monte myrrhæ, & ex colle thuris, atque inde per valles & agros multiplicato sono diffusum. Quidni autem Christianorum aures delicati istius cantùs dulcedine mulceantur,

quo Infidelium etiam ipsorum, & barbarorum, mentes rapiuntur in admirationem? Quis, putas, fuit spectantium & audientium quorumcumque sensus, quando D. Theodorus Martyr, cujus anniversaria die ut hæc me commodùm scribere contigit, ungulis excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat, *Benedicam Dominum in omni tempore?* Quando in rogum ardentem injectus, ustulatúsque, ad extremum usque spiritum in divinis laudibus perseverabat, non secùs ac juvenes Hebræi inter innoxias fornacis Babyloniæ flammas? Quis non Christianorum ex eo spectaculo dignos sanctissima nostra religione animos concepit? Quis non cæterorum miratus est militem, non jam hostibus solùm, sed etiam semetipso fortiorem? Cui adstantium, vel invito, tacitæ laudis testimonium non expressit tam excelsus super omnia horrenda animus, in vulneribus gaudens, in incendiis alacer, in morte vegetus? Cùm nos, tot sæculis à cruento Maximiani ævo dissiti, ad solam adeò generosæ patientiæ cogita-

cogitationem erigamus animos, & nobis ipsis de exemplo gratulemur.

IX. *Meriti nobis plurimùm.* Si enim vel Paganis, imò & barbaris, nihil est supra hominem fortiter miserum, quantò magis Christianis, virtutum pretia edoctis? Qui non Dei tantùm gloriam ex ejusmodi tolerantia existere noverunt, sed & plurimum apud Deum meriti ac gratiæ comparari. Nam *verissima devotio*, ut Blosius in dictis Patrum cap. 10. affirmat, *in humillima sui resignatione sita est: quando videlicet homo non solùm in abundantia, sed etiam in penuria & mœrore, & aliis quibuscumque casibus atque eventibus, in sanctissima Dei voluntate plenissimè acquiescit.* Meritum est ab obsequio: obsequium à voluntatis subjectione perpetua. Ob eas causas, solitæ heroïcæ animæ non excipere tantùm mala incurrentia patienter, verùm etiam prompto animo, obviáque voluntate. Petrus Faber, primus Divi nostri Ignatii socius, vir in agendo, patiendóque secundùm Deum, apprimè versatus, tria esse dicebat Chri-

stianorum non malorum genera, calamitates variè excipientium. Primos statim ad Deum Divosque confugere, non alio fine, quàm ut inde eximantur. Alios idem, sed meliùs, postulare: addere enim petitioni, ut Deus patientiam largiatur, si patiendi materiam non tollere constituit. Tertios in summum virtutis gradum eniti, peteréque à Deo, ut, si ex ejus voluntate sit, plura patiantur, paratos se, & ad omnia compositos, tamque ex animo dicturos, Ecce ego, dejice me, cæde me; quàm Ecce ego mitte me, erige me.

X. *Lætitia perpetua.* Fructus ex ista animi præparatione tertius enascitur, tranquillitas animi inconcussa, id est summa mortalis vitæ fælicitas. Commendabat Ecclesiastes cap. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non recedat.* Quod aliis verbis, sententiâ eâdem, discipulis suis commendare solitus Gebennensis Episcopus, compositissimæ mentis homo: ut læti semper essent, semper contenti. Ita ne verò semper? Et patre amisso? Et perditis rebus?

bus? Et discedentibus amicis? Et per publicos tumultus? Et in ipso tristitiæ sinu, inter gementes undique ac flentes in hac lacrymarum valle? Omninò semper, & modum ostendo. Lætus esse non desinet, qui non desinet habere quod volet, velle quod habebit. Id autem continget nemini, nisi voluntatem suam conjungenti cum divina, quæ semper invicta est. Pulcrè Augustinus libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 3. *Beatè omnes vivere volunt, neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam planè sit emissa, consentiat. Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet, quod amat, qualecumque sit: neque qui habet, quod amat, si noxium sit: neque, qui quod habet, non amat, etsi optimum sit. Nam & qui appetit, quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit, quod appetendum est, ægrotat.... Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cùm id quod est hominis optimum, & amatur, & habetur.*

XI. *Et Beatitudo.* Hominis autem optimum est, velle quod Deus vult. Apud Augustinum lib. 13. de Trinitate c. 3. *Illa cujusdam facetissimi mimi prædicatur urbanitas: qui cùm se promisisset in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti exspectatione major multitudo confluueret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto levissimi scenici omnes tamen conscientias invenerunt suas, eique vera, ante oculos omnium constituta, & tamen improvisa, dicenti, admirabili favore plauserunt.... At si dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Tam *perfecta* est scilicet, ut ibidem capite octavo loquitur Augustinus, *tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, Beatos esse omnes homines velle.* Quis verò mortalium beatus esse dicendus est? Ab eodem Augustino iterum audiamus cap. 5. & cap. 8. *Beatus non est, nisi qui omnia habet quæ vult. Non vivit beatè,*

cui

cui non adest quod vult. Neque habet quæcumque vult, nisi qui nihil vehementer desiderare consuescit, quàm quod ille voluerit, cujus voluntati numquam resistitur. Præterquam quod homo, in ea mentis dispositione, Dei auxilio ac singulari protectione destitui non potest. Quid autem illi malorum veniet, qui in immensæ bonitatis ac potentiæ clientelam concesserit? Aut si quæ mala acccidant, quodnam eorum in bonum non evadet? Moses, Deuteronomii c. 33. Tribui Aser, quod nomen beatitudinem significat, benè precaturus: *Benedictus*, inquit, *in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua.... Non est Deus alius, ut Deus rectissimi: ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet à facie tua inimicum, dicétque: Conterere.* Unde Aser, id est fælicitas, unde oleum lætitiæ, unde ferreum æreumque robur, unde florens ætas & juvenilis animus,

animus, unde perpetuæ de hostibus quibusvis victoriæ, nisi à Dei auxilio? Ubi Dei auxilium, nisi ubi fiducia in Deum? Ubi constans in Deum fiducia, nisi cùm sese homo in Dei manus ad omnia permiserit? *Non* enim *est alius Deus, ut Deus rectissimi:* rectior autem nullus est, quàm qui se summæ inflexæque rectitudini adaptavit.

XII. *Ac gemimus Paradisus.* Dici solet, nec longè à vero: nam, ut ait Augustinus in Psalmum 32. *Lingua popularis plerumque est doctrina salutaris.* Dici itaque solet, Paradisum in hac vita primùm, deinde in altera, nemini contingere: atque adeò, qui placent Deo, per multas tribulationes transiisse fideles. Verum istud quidem: sed & hoc, ni fallor, verissimum: Esse, qui & hîc, & in altera vita, inferos habeant: contrà esse, qui & hîc & ibi, Paradisum inveniant. Inferos utrobique habent, qui calamitatum impatientes moriuntur. Paradisum utrobique inveniunt, qui se divinæ voluntati in eventis omnibus adjungunt. Quid enim in cælis agunt

Beati,

Beati; quid isti in terris? Et hi laudant Deum, & illi. Et hi Deo placent, & illi: quodque illi ampliùs non possunt, hi, quia Deo placent, incrementum gratiæ promerentur. Illi in loco pacis securi sunt, hi etiam in bellorum sede tranquilli. Itaque, ô homo, si & hîc pariter & æternùm beatus esse vis, *Vide directionem, quâ dirigit te Deus*, verbis Augustini te alloquor, in fine concionis primæ in Psalmum 36. *ut omnia, quæ vult, velis & ipse: ipse enim est directio.* Tunc demum alternis vocibus concines lucidissimæ noctis, Sole animarum nostrarum exorto, in diem cõversæ, suavissimum Canticum, cum multitudine militiæ cælestis, laudantium Deum, ac dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XIII. *Summatia bonæ voluntatis descriptio.* Epilogum ipsum claudamus brevi epilogo, ex dimetrorum pedestrium ternariis aliquot, quibus dictorum præcipua recensentur. Avaris opes suas sæpe ad calculos revocare jucundum est: nec nobis grave fuerit, divitiarum nostrarum cælestium numeros frequenter meminisse.

Quæris, bona voluntas quid est?
Beatitudo ipsissima est,
Quanta esse sub cælo potest.

In ipso enim sinu Dei est,
Quia semper illi subdita est,
Et sponte, non gemens, subest.

Nihil ejus ubi sit interest,
Nec temporum metu anxia est;
Quia nuspiam & numquam sua est.

Quodcumque non vult, non adest;
Pariterque quod vult, non abest;
Quia illud unum vult, quod est.

Sic constitutæ nîl obest,
Nihil dëest, imò supersest,
Regente qui cunctis præest.

Tota ex Deo, tota ad Deum est,
Tota in Deo, quia sub eo est,
Principium ei idem & finis est.

Per illam homo totus Dei est,
Et, pœnè dixero, Deus est,
Cujus voluntas optima est.

INDEX
PARTIUM, SECTIONUM, PARAGRAPHORUM.

PROOEMIVM.

Quæ sit Bona Voluntas. pag. 1

I. Bonitas voluntatis ex natura. ibid.
II. Vera voluntatis bonitas. 3
III. Ejus officium. 4
IV. Præcipuum est sustinere. 6
V. Tolerantiæ necessitas. 7
VI. Insensibilitas non est patientia. 8
VII. Non respuendæ cõsolationes humanæ. 10
VIII. Fidei & rationis amicitia. 11
IX. Laus Dei in adversis. 12
X. Fælicitas laudantium. 14
XI. Opusculi totius idea. 15

PARS PRIMA
Fundamenta Bonæ Voluntatis.

SECTIO I. Primum fundamentum: *Providentiam divinam universo regendo præsidere.* 17

I. Providentiam Dei negavit nemo. ibid.
II. Infideles prædicavêre. 18
III. Ejus imagines ex illis. 19
IV. Et definitiones ex iisdem. 21

V. Ani-

V. Animæ humanæ sensus de Providentia. 23
VI. Trium mundorum testimonia. 24
VII. Testimonium ab aspectabili mundo. 25
VIII. Deum homo agnoscit ex se. 27
IX. Et ex fortunis publicis. 29
X. Elementorum ordo. 31
XI. Firmamenti magnitudo. 32
XII. Altitudo. 33
XIII. Celeritas. 34
XIV. Hominis contemplatio. 36
XV. Harmonica Dei gubernatio. 38
XVI. Ambulandum coram Deo. 39

SECTIO II. Alterum fundamentum: *A Providentia Divina res etiam minimas, & fortuitas, curari.* 41

I. Res nulla Deo indigna. ibid.
II. Quantumvis exigua & vilis. 42
III. Nihil Deo improvisum. 43
IV. E sacris Literis ostenditur. 44
V. Ex historiis Ecclesiasticis. 46
VI. D. Augustini narratio ea de re. 47
VII. Alia ejusdem. 48
VIII. Quotidiana in nobis experientia, 49
IX. Etiam minima ad Deum referenda. 50
X. Christianorum ea de re doctrina. 52
XI. Quanta inde tranquillitas. 53
XII. Caussa tranquillitatis. 54

SECTIO III. Fundamentum bonæ voluntatis tertium ac præcipuum : *Cura Dei de homine, præsertim bono.* 56

I. Deus est Dominus hominū singuriter. ibi.
II. Major cura qualiter sit in Deo. 58
III. Declaratur. 59
IV. Singulos homines Deus curat. 61
V. Citra laborem. 62
VI. Hominis nobilitas. 63
VII. A Deo amatur. 65
VIII. Paternus Dei affectus. ibid.
IX. Materna ejusdem dilectio. 67
X. Christi doctrina ea de re. 68
XI. Deus singulariter amicos curat. 70
XII. Vitam eorum corporalem. 71
XIII. Vitam item Civilem & Spiritualem. 74

PARS SECUNDA
Officia bonæ Voluntatis.

SECTIO I. Primum Officium : *Acquiescere Deo sive sese resignare, in malis pœnæ quibuslibet, etiam per malam hominum voluntatem inflictis.* 77

I. A bono non nisi bonum. ibid.
II. Calamitatum genera duo. 78
III. Conformatio voluntatis in priore malorum genere. 80

IV. Expen-

IV. Expenditur à Chrysostomo. 82
V. Ostenditur in exemplis. 83
VI. Difficulter Deus adspicitur, ubi malitia humana intervenit. 86
VII. Malum Culpæ, & Pœnæ. 87
VIII. Voluntas Dei quas in peccato partes habeat. 88
IX. Deus calamitatũ omniũ causſa prima. 90
X. Ita Scripturæ loquuntur. 92
XI. Dei manus in omnibus adspicienda. 94
XII. Vindicta non coquenda. 96
XIII. Licet tamen defensio, & quatenùs. 97
XIV. Solida afflicti consolatio. 98

SECTIO II. Alterum bonæ Voluntatis officium: *Fidere Providentiæ divinæ in malis quibuslibet.* 101

I. Fiducia quando habenda. ibid.
II. Periclitatur in tempestate. 102
III. Paterna castigatio. 103
IV. Oculata & medica. 105
V. Bona ex malis. ibid.
VI. Magistra virtutis calamitas. 107
VII. Idem declaratur. 108
VIII. Alterna fortuna. 110
IX. Recurrendum ad Deum. 111
X. Recusat, ut det. 112
XI. Calamitas ventilabrum, & torcular. 113
XII. Exemplo ostenditur. 115

SECTIO

SECTIO III. Tertium bonæ Voluntatis officium: *A Providentia divina in futurum pendere, seu indifferentem esse.* 118

I. Quid sit indifferentia. ibid.
II. Gratissima hominibus. 119
III. Et Deo. 121
IV. Perfectio virtutis inde pendet. 122
V. Necessitas ejus status. 123
VI. Exercitium. 124
VII. Modus eò veniendi. 126
VIII. Fugacitas bonorum temporalium. 127
IX. Vilitas. 128
X. Voluntatis æquilibrium. 130
XI. Aliud ad illam subsidium indicatur. 131

PARS TERTIA
Adjumenta bonæ Voluntatis.

SECTIO I. Adjumentum primum: *Consideratio modi, quo agit Providentia, ut nostra omnia illi permittamus.* 133

I. Quid Providentia? ibid.
II. Quatuor ejus vultus, ac primū bonitas. 134
III. Altera ejus facies Justitia. 135
IV. Justus Deus, etiam utens injustis. 136
V. Ei Justitiæ acquiescendum. 138
VI. Potentia tertius Providentiæ divinæ vultus. 139

VII. Quid Domino debeamus. 141
VIII. Potestati cedendum. 143
IX. Dei Sapientia, vultus Providentiæ quartus. 145
X. Deus, choragus. 147
XI. Imperator, & navarchus. 148
XII. A Deo non petendum, Cur? 150
XIII. Petendum, quod Deus vult. 152
XIV. Standum ut medico, & patri. ibid.
XV. Ejus cogitationis suavitas. 153
XVI. Et sanctitas. 154

SECTIO II. Alterum adjumentum: *Consideratio providentiæ humanæ.* 156

I. Providentiæ divinæ lampas. ibid.
II. Qui eam non cernant. 157
III. Dei bonitas confertur cum creata. 159
IV. Sapientia humana qualis? 162
V. A Deo destituta. 164
VI. Malè eligit. 165
VII. Non fidendum ingenio. 167
VIII. Neque arti aut industriæ. 168
IX. Non innitendum hominibus. 170
X. Vana refugia. 172
XI. Arbores ruentes & umbræ. 173
XII. Quatenùs creaturis fidendum. 175
XIII. Et Deo. 177

SECTIO III. Tertium adjumentum: *Consideratio insaniæ & infælicitatis illorum, qui à Providentiâ divinâ seseregi non sinunt.* 178

I. Calamitas ubique. ibid.
II. Non benè ubique excipitur. 180
III. Prima impatientium infælicitas. 181
IV. Altera. 183
V. Tertia. 184
VI. Quarta. 185
VII. Ultimum exitium. 187
VIII. Pessimum impatientium genus. 189
IX. Intoleranda eorum impudentia. 190
X. Genus alterum. 192
XI. Tertium. 193
XII. Quartum genus. 194

PARS QUARTA
Fructus bonæ Voluntatis.

SECTIO I. Primus conformatæ cum Divina voluntatis fructus: *Gloria Dei.* 196

I. Emolumenta bonæ Voluntatis. ibid.
II. Gloria Dei duplex. 197
III. Vult Deus gloriam. 199
IV. Dei glorificatio qualis? 201
V. Sita in cõjunctione cum volũtate Dei. 202

VI. Velis

VI. Velis esse quod es. 204
VII. Ita Beati agunt. 206
VIII. Sacrificium voluntatis. 207
IX. Nobilissimum omnium. 209
X. Admirationi est patiens. 211
XI. Et exemplo. 213
XII. Nobis ipsis. 214
XIII. Deo jucundum spectaculum. 215
XIV. Et honorificum. 217
XV. Mala an optabilia. 218
XVI. Sancti desideravêre. 219

SECTIO II. Fructus alter: *Meritorum seges amplissima.* 221

I. Gloria hominis ex Dei voluntate. ibid.
II. Et utilitas. 223
III. Societas Dei & hominis. ibid.
IV. Conformitas cum Dei voluntate quæstuosissima negotiatio. 225
V. Quæ voluntas perfectissima. 227
VI. Subjecta Deo voluntas. 228
VII. Altissima Caritas. 231
VIII. Canticum Canticorum. 232
IX. Quantum patientiæ meritum. 233
X. Quanti pretii adversa. 234
XI. Æstimatores periti. 235
XII. Pro omnibus virtutibus est conformitas. 237

SECTIO

SECTIO III. Fructus tertius: *Excelsa tranquillitas animi.* 239

I. Pax animi beatitudo summa. ibid.
II. Intus est. 240
III. Turbæ à vanis desideriis. 241
IV. Voluntati hominis Deo conjuncti non resistitur. 243
V. Inde tranquillitas. 245
VI. Etiam in subitis casibus. 247
VII. Quàm excelsa. 248
VIII. Non tamen infrequens. 250
IX. Etiam in aulis. 251
X. Fidendum Deo. 253
XI. Securitas fiduciam sequitur. 255
XII. Et sanitas animi. 256
XIII. Brevis perturbatio pro nulla est. 258

EPILOGUS

Dicta omnia recensentur. 261

I. Summa dictorum. ibid.
II. Fundamenta Resignationis. 262
III. Manus Dei aspicienda. 265
IV. Gratiæ cum fiducia, Deo agendæ: Indifferentia servanda. 265
V. Quomodò agat Dei Providentia. 266
VI. Insania & infælicitas fortunam sibi fingentium. 267

VII. Prævenienda futura mala præsentium patientiâ. 269
VIII. Dei laus ex consonantia voluntatum. 271
IX. Meriti nobis plurimùm. 273
X. Lætitia perpetua. 274
XI. Et Beatitudo. 276
XII. Ac geminus Paradisus. 279
XIII. Summaria bonæ voluntatis descriptio. 179



INDEX CONCIONATORIUS

IN ADVENTUM,

Quo materiæ pro Dominicis Festisque in id tempus incurrentibus, præter materias hinc in dies singulos desumendas, partim deducuntur, partim suggeruntur, in gratiam Concionatorum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMA. *Arescentibus hominibus pra timore & exspectatione, respicite & levate capita vestra. Luc. 21*

Post brevem Evangelii enarrationem, qua nec gratius quidquam auditoribus, neque utilius est, quando in Evangelia dicitur, & post imploratum Spiritus Sancti auxilium: incipi poterit à distinctione duplicis judicii divini, Temporalis scilicet, & Æterni, illius in hac vita, hujus in altera. Indicatur ea distinctio ab Augustino lib. 20. de Civ. cap. 2. &c. Habemus eamdem in Scripturis. Nam de Temporali & Vitæ hujus judicio, sumendum illud Osee 2. *Iudicium Domino cum habitatoribus terra*: & illud Isaiæ, *Cùm feceris*

judicia in terra, justitiam discent habitatores orbis. De Æterno autem & vitæ alterius judicio frequentissimè habemus: *Pater omne judicium dedit filio: sedebitis judicantes duodecim tribus Israël: judicium sedit & libri aperti sunt.* De utroque genere judicii Christus agit Luc. 21. Nam de priore sunt ista verba, *Surget gens contra gentem, erunt terræ motus*, &c. Ad posterius spectant, quæcumque in Evangelio hodierno habemus. Quæremus de utroque, quomodò Christus in illis Christianos suos se gerere desideret: qua dispositione animi velit à nobis judicium extremum exspectari: qua item comparatione judicium calamitatum præsentium spectari à nobis, & sentiri cupiat.

De extremo Judicio aperta Christi verba sunt, *Arescentibus hominibus præ timore & exspectatione*, vos discipuli mei *respicite & levate capita vestra*, qui gestus est desiderantis, fidentis & læti animi signum. Itane verò, ô Christe, tu nos gaudere jubes, fidere, desiderare, quando non homines solùm arescunt, sed & ipsi Sancti sola præcogitatione trepidant. Quis vir D. Chrysostomus? Ille tamen hom. 13. ad pop. Antioch. magis affirmat se ea cogitatione percelli, quàm reum denuntiatione horrendi supplicii. Quis vir D. Bernardus? Ille tamen Serm. 4. ad sororem de modo bene vivendi, ait, *Qui incipit judicium credere, incipit timere.* Quid jam Pelagiam, Nonno de Judicio concionante conversam, memorem? Quid Bulgarorum Regem,

pictura

pictura judicii ad fidem adductum? Narrat Baron. tomo 10. an. 845. Quid conversos, D. Vincentio Ferrerio de ea materia concionante? Trepidant non peccatores tantùm, sed & Sancti: quid ergo nos in eo die, terrores undique ingerente, reperiemus ubi requiescat pes noster?

Objecta tria desiderii & gaudii, inter tot metûs argumenta, invenio: primum, honorem Dei: alterum, honorem filiorum & servorum Dei: tertium, beatitudinem corporum. Dei judicia temporalia plerumque hic sunt occulta, aliquando diu differuntur: ideoque quia differtur adversùs malos sententia, filii hominum absque timore ullo perpetrant mala. Ipsis piorum animis ea cogitatio non rarò facessivit negotium: Davidis pœnè moti sunt pedes, pœnè effusi sunt gressus: Habacuc eodem fermè modo concussus, aliique paris sanctitatis. Ideò desiderabile nobis est Judicium Dei, ubi secreta & interiora Dei judicia nobis patescent, mirandaque istius Providentiæ æquissimæ gubernatio in consiliis super filios hominum. Expendit hoc insigniter Augustinus 20. de Civ. cap. 2. *Nescimus quo judicio Dei, bonus ille sit pauper &c.* Desiderabile itaque nobis est judicium extremum pro Dei honore. Et hanc præsertim ob caussam S. Catharina Genuensis aliquando, cùm ea verba in confessu dicerentur, *Surgite mortui venite ad judicium*, exclamavit cum impetu, stupentibus omnibus: *Iam optarem venire.* Vide Vitæ ejus cap. 42.

Quamquam, etsi id non foret, tamen ob solum honorem filiorum Dei esset desiderabile judicium, ac præsertim ad gloriam Unigeniti Filii Dei, primogeniti ex mortuis, Christi Salvatoris, quà homo est. Quomodò habitus fuit in vita mortali? Quomodò ab hæreticis in Eucharistia? Ab Infidelibus aliis in imaginibus &c. Tunc autem in nubibus cæli cum potestate & majestate. *Hic est ille dicam fabri filius &c.* Verba sunt Tertulliani lib. de Spectaculis, Christum judicem Judæis & incredulis pro spectaculo proponentis. *Ecce dicam*, cum Augustino, *hominem quem crucifixistis : ecce Deum & hominem, in quem credere noluistis : videtis vulnera quæ inflixistis?* In ea cogitatione defixus, opinor, D. Ioannes Evangelista Apoc. ult. versu 20. cùm à Christo audisset, *Etiam, venio citò*, statim in hæc verba erupit, desiderii & gaudii, *Veni Domine IESV.* Eamdem ob rationem D. Augustinus Tract. 9. in epistolam Joannis dicebat: *Fratres, date operam intus agere vobiscum, ut desideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta caritas, nisi cùm caperit ille dies desiderari.* Desiderabat rusticanus ille adolescens annorum 18. qui cùm ab annis abhinc circiter viginti in Sacerdotem Societatis nostræ incidisset in itinere, ita de Judicii desiderio Christianè disseruit, ut suspicaretur Sacerdos se cum Angelo agere, nisi paullò post adolescens peccata confiteri cæpisset. Res typis vulgata est, cum benè longo dialogo. Multis ante ipsum,

& ante

& ante Christum, sæculis pastor alius, quem Deus de post fœtantes acceperat pascere populum suum, ita ejus extremi diei desiderio æstuabat, ut lætari velit cælos & terram, quia venit *Deus judicare terram in justitia, & populos in æquitate.* Æquissimus Dominus filium suum, qui judicatus fuit, constituit universorum Judicem, ut ipsi ablatum honorem restituat centuplicato fœnore.

Neque ipsi solùm, sed & fratribus ac filiis ejus. Quàm multi Martyres obiêre illamentati, insepulti, pessimè etiam post mortem habiti? Quot Sancti pro impiis habiti, imò & pro Magis? Quotus quisque hominum piorum censuras temerariorum judiciorum, & linguarum notas atque obelos, potuit evadere? Vide quid de judiciis hominum præcipitibus dicat Chrysost. hom. 5. in cap. 2. epist. ad Rom. Vide & Aug. serm. 202. de Temp. Solatio maximo est fidelibus mentibus, cùm cogitant venturum diem, qui omnes illas noctes dissipet: affore aliquando judicium, quo opiniones omnes & suspiciones diluantur. Eò Christianos vocabat Tertullianus libro de spectaculis: *Ille ultimus ac perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus.* Eò respexit Episcopus Gebennensis B Franciscus Salesius, quando infami calumnia Parisiis appetitus, & de ea ab amicis monitus, id solùm quietè respondit, *Affore diem, quo dies omnes recenserentur.*

Si honoris ratio non satis tangit, tanget forsan

propiùs beatitudo corporis, sine qua aliquid animæ ad fælicitatem deest. *Exspectatio enim creatura revelationem Filiorum Dei exspectat*, ut inquit D. Paullus Rom. 8. Exspectatio, inquam, sive ἀποκαραδοκία, Extensio capitum, ad exspectationem significandam: quod ipsum Christus hodie dicit, *Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, absolutio à miseriis hujus vitæ & resurrectio corporis beati. O fælicem exspectationem ac Redemptionem, quando corpori nostro, & singulis sensibus, qui in Dei caussa laborarunt, dicere poterimus, quod B. Petrus de Alcantara post mortem apparens dixisse fertur, *Felix labor tanto dignus præmio.* Interim nostra conversatio, seu ut Hilarius legit libro 11. de Trin. nostra exspectatio in cælis est, *unde etiam Salvatorem exspectamus*, isto solenni adventu ac judicio, *Dominum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

De Judicio Extremo jam diu dicimus: quid autem de Temporali? Reliquo Adventûs tempore dicendum erit, idem quod de Extremo, *Respicite & levate capita vestra*, ô Christiani, in quibusvis malis temporalibus. *Quoniam appropinquat redemptio vestra:* Arescant alii præ timore: sit in aliis, ut Nahum dicebat cap. 2. *Cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies eorum sicut nigredo ollæ.* At vos Christiani, canite in eo Dei

judicio

judicio, quod Angeli in Nativitate Christi cecinêre, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ad gloriam Dei, & bonum vestrum simul isthæc omnia eveniunt. Narrant, equitem audita suavissima voce in aviis silvarum, eam secutum, venisse ad moribundum non hominem, sed spirans cadaver: erat enim leprosus, cui partes corporis semiputres undique hiabant. Mirante equite cantum in eo statu: at tu, inquit leprosus, mirarísne captivum gaudere & cantare, cum carcer ejus dirumpitur, & in proximo est jucundissima numquamque desitura libertas? Ex Salmerone id habeo, ipse ex aliis. Si parabolam esse existimatis: efficere tamen poteritis, ut verissima sit rei factæ ac faciendæ narratio. Modus alius non est, quàm Voluntatis humanæ cum divina conjunctio in omnibus eventis. Eam qui habet, seu sanus sit, seu leprosus; sive integer sit honor, seu per partes abeat; seu vita constet, seu mors immineat, semper respiciet & levabit caput suum, canetque tranquillè cum Angelis, Gloria in excelsis &c.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Explicandus primùm ad literam hic cantus Angelicus: & præsertim insistendum parti secundæ, è qua aliqui tertiam faciunt: homines bonæ voluntatis sumi dupliciter, indico pag. 4. sect. 1.

sect. 1. num. 1. In secundo sensu, sive de bona voluntate activa, intelligemus ferè toto hoc Adventu. Invocemus Spiritum Sanctum & Virginem salutemus. AVE.

Ingressus sit ex Procœmii num 1. & 2. ubi dicitur generatim de Bona Voluntate, cujus bonitas existit ex applicatione cum divina. Tum subdatur de Tractatûs illius Suavitate & Vtilitate: qua de re aliquid habes in præfatione ad lectorem. Et certè ipsa multitudo Tractatorum & Scriptorum ea de re ostendit satis ejus utilitatem. Scripsêre Chrysostomus, Salvianus, Prosper libros de Providentia. Jam recentiores quàm multi? Quid de veteribus, Seneca, Epicteto &c. Merces bonas esse argumento est emptorum multitudo, si sunt intelligentes. Ita Sermonem de Providentia, de Conformitate, de Resignatione, de Bona Voluntate, quæ variis nominibus eadem sunt, esse publicè privatimque utillimum, vel inde patet quod tam multi tractavere.

Eum igitur & nos ut Deus dederit, deducemus. Subde quæ in procœmio habentur à num. 6. usque ad finem. Prætereundi enim 3. 4. 5. qui aliis diebus erunt usui.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2.

Ponendum primum fundamentum: esse Providentiam: prout habes part. 1. sect. 1. ad

numerum usque decimum. Cùm enim sit in superioribus numeris valdè densa materia, & operæ pretium sit eam bis tractari: reliqua commodè reservabitur ad Dominicam Adventus tertiam.

FERIA QUARTA.

THEMA idem,

Fundamentum alterum totum ex sect. 2. partis ejusdem.

FERIA QUINTA.

THEMA. *In terra pax hominibus.* Luc. 2.

Fundamentum tertium totum ut habetur sect. 3. partis ejusdem, Si tamen contingeret Adventum ita longum esse, ut materiæ non viderentur suffecturæ: commodissimè dividetur hoc Fundamentum in conciones duas, ut prima sit de cura hominum generatim, altera de cura proborum à num. 11. ad finem.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA. *Venite post me* Mat. 4. Describitur nobis hodie in Evangelio altera D. Andreæ vocatio. Prima fuit ad sequendum, hæc ad cognoscendum. Itaque tantùm habemus hîc, quomodò vitam meliorem D. Andreas incæperit. In eo tamen initio video finem optimum, significatum mysticis illis vocibus, *Venite post me.* Sicut enim cùm Christus dixit Petro ad mare

Tiberiadis, *sequere me*, intelligebat de morte Crucis, ut clarè colligitur ex Evangelio. Ita hîc, cùm dicit Andreæ & Petro, utrique postmodùm Crucifixo, *Venite post me*, quidni dicatur alludere ad genus mortis suo simile? Præteritis itaque, quæcumque de vita ejus ac gestis dicuntur, laudibus, quæ à Sanctis Hippolyto, Hieronymo, Chrysostomo, Chrysologo, Damiano &c. in illum congeruntur, dicam de morte sola. Spiritum Sanctum invocemus.

Ultimus actus præcipuè in tragœdia spectari solet, quia eò affectus maximè concurrunt: in Oratione Peroratio imprimit motum: in argumento ultima conclusio victrix est: in lite ultima probatio, seu replica, plus momenti habet quàm reliquæ: in prælio ultimus impetus est palmarius. Vita tragœdia est, oratio, argumentum, lis, prælium. Nonne talis fuit Vita D. Andreæ? Ejus tragœdiæ,&c. clausula fuit mors. Sicut enim mors à Tertulliano dicitur finis omnium quæstionum: ita dici potest prælii, litis, argumenti, Orationis, tragœdiæ finis. Dignissima ergo est consideratione & attentione nostra. Gratias Sanctis D. Andreæ filiis Achaiæ diaconis, qui sic illam nobis expressêre, & oculis subjecêre: ut videamur interesse. Nôstis, & ideò non immemor, captum, productum, interrogatum, respondisse, &c. post Crucis amplexus, de illa, uti ex Cathedra, concionatum.

Quot mira in illo ultimo actu notastis? Tria ego: Amorem erga Eucharistiam tenerrimum:

mum : Zelum animarum , qui de Crucifixo concionatorem biduo fecit : Rapit me maximè affectus erga Crucem, & in illo hæreo, ac quæro primò, Cur D. Andreas ita amârit? Secundò, Cur & nos amare debeamus?

Ethnici ſpectantes hanc actionem ridebant ſine dubio, ſaltem ad primum aſpectum, quod Crucem diſſuaviaretur & complecteretur, ſicut dementatus aliquis amore, dicens *Teneo te lumen meum:* aut ſicut illa in Canticis, *Inveni quem diligit anima mea, tenebo eum, nec dimittam.* Hinc etiam vulgo Martyrium D. Andreæ vocatur, Sponſalia ipſius cum Cruce. Sed quid in ea dignum amore invenis, ô Sancte? Amor enim non poteſt ferri niſi ad bonum: &, ut laudabilis ſit, ferri debet in bonum verum, non autem imaginarium. At quod bonum invenis in illa Sponſa? Pulcritudinem alii quærunt, & vanum eſt: alii divitias, & hoc fluxum eſt: alii nobilitatem, & hoc etiam ad vanitatem accedit: alii, & ſapientiùs bonos mores. An tu bonos mores quæris in Cruce? Crudeliſſimum eſt ſupplicium. An nobilitatem? Origo ejus ſupplicii eſt à parricidis ſicariis, ſceleratis. An opes? Nudus exponêris: etiam totum ſanguinem prodigere cogêris pro dote. An pulcritudinem? Vile lignum eſt: inter ſepulcreta & cadavera poſitum, ipſis delicatorum oculis intolerabile. Quid ergo denique amabile in Cruce Andreas deprehendit? Quatuor iſta: Pulcritudinem, *Decorem*, inquit, *à membris Domini ſuſcepiſti:*

Opes,

Opes, dedit enim cælum, *Suscipe me ab hominibus, & redde me magistro meo.* Nobilitatem à Christi Sanguine, *Qui per te me redemit:* Bonos mores, *O bona Crux, diu desiderata,* &c. Breviùs & clariùs dico: amavit Andreas crucem, quia in illa reperit omnia amoris objecta, Bonum Jucundum seu delectabile, Honestum, Utile.

Reperit bonum Jucundum, *O bona Crux,* quia plenus consolatione interiori, à Deo infusa: præterquam quòd lætitia est amori naturaliter proportionata. D. Paullus, 2. Cor. 1. Sicut abundant passiones, ita & consolatio. Solitum id in Martyribus. Vide Vitam S. Hermyli apud Surium 13. Jan. S. Eleutherii 18. Apr. &c. Reperit bonum Honestum: *Qua decorem ex membris Christi suscepisti.* Quid honorificentius, quàm similem esse Regi? Quàm rependere Christo, quod dedit nobis? Animavit hæc cogitatio excelsas animas, ut dicerent cum Paullo ad Gal. 6. *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.* Vide procem. num. 6.

Reperit bonum Vtile: *Redde me magistro.* Aspiciebat Crucem, ut tabulam naufragii, aut potius arcam: ut currum triumphalem: ut scalam Jacob. Animati illa cogitatione Martyres, ita ut nîl, quomodò loquitur Tertullianus, crus sentiret in nervo, cùm animus in cælo esset. Passim testimonia occurrunt.

En rationes, cur D. Andreas Crucem amârit. En cur desiderârit, quam alii minùs illustrati aversan-

aversantur. En cur quæsierit, quam alii ultrò oblatam fugiunt. En cur amplexus sit, quam alii cùm propè sunt, tangere nolunt. En rationes, cur Cruces nostras amare debeamus, ô Christiani. At quas, si Cruci D. Andreæ comparentur? Quomodò tamen illas amabo, inquis? Primò quia jucundæ erunt, si Deo te tradis: & secundùm multitudinem dolorum, consolationes ejus lætificabunt animam tuam. Esto hoc non sit: reperies tamen bonum honestum, imitationem Christi: qua de re consule, si lubet, Bernardum serm. de quadruplici debito. Tam potenti considerationi adde tertiam: per Crucem redempti, per illam in cælum debemus ascendere. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur &c.* Si ea, ut decet, in animum demittimus, dicemus cum Andrea, cum Xaverio, cum Martyribus, *O bona Crux &c.* Fer nos in cælum, ut Crucifixi Crucifixum laudemus.

DOMINICA SECUNDA.

THEMA. *Ioannes in Vinculis.* Matth. 11.

Argumentum totum erit de caussis, cur Deus D. Joannem, tam innocentem virum, carcere includi & plecti à carnifice voluerit: interim dum Herodes adulter voluptatibus innatabat. Ratio prima peti potest ex Christi gloria, ad quam D. Joannes, ejus præcursor, totus ordinabatur, velut ad finem suum: præcucurrerat cum vitâ, præcurrat & morte: Sole adveniente, stella

stella decedat. Altera, ex ipsius Joannis gloria: nihil enim honorificentius homini probo potest accidere, quàm pro Deo, pro virtute, pro veritate pati, & mori. *Vobis datum est, non tantùm ut in eum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini.* Tertia ratio petenda ex bono nostro: ut, præter plurima alia exempla, etiam Joannis passione doceamur, Bonis mala accidere solere. Cur id fit? Multa in eam rem tradit Seneca libro de Providentia, & omnino Christianè: aliunde etiam materia non difficulter peti potest. Nos hanc concionem extendimus Excursu 3. sect. 2. ad cap. 2. Machab.

FERIUS HEBDOMADÆ SECUNDÆ. ADVENTUS.

SI Fundamenta Bonæ Voluntatis pertractata fuerint, transibitur ad Officia eo omninò ordine ac modo, quo habentur in Parte secunda. Si tamen superfuturi dies videbuntur vel hac hebdomada, vel sequenti, dividi poterit Sectio 1. partis 2. in Conciones duas: ut in prima agatur de malis, quæ nobis à Deo immediatè eveniunt; in altera, de evenientibus à Deo mediatè, per malam hominem voluntatem.

Thema istis concionibus unicum erit, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

DIE

DIE S. NICOLAI.

THEMA. *Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam.* Matth. 25.

Sive festum ex consuetudine fiat: sive non observetur ex Bulla Urbani VIII. tamen, quia iste Sanctus Dei est percelebris in ejus Ecclesia, poterit pro arbitrio Concionatoris haberi de eo Sermo, conveniens materiæ de Providentia. Post narratum Evangelium, & Spiritus Sancti gratiam imploratam ingressus sic fiet.

Quid nomine Talentorum intelligatur hodie in Evangelio, non ita clarum est, ut alii aliter non sentiant. Ego illis sententiis omissis existimârim significari dona Dei, seu supernaturalia, seu naturalia; sive externa, sive interna; sive spiritualia, sive corporalia: omnia denique: nam omnia data sunt nobis ad cælum comparandum, & negotiandum pro æternitate. Siquidem nobis dictum est, qualescumque simus, *Negotiamini, dum venio*: & quidquid nobis Deus donavit, media sunt ad gloriam ejus, ac salutem nostram procurandam, qui fines nostri sunt. Super hac explicatione ponamus quæstiones duas. Primam, Cur tanta sit diversitas talentorum, donorúmve Dei, inter homines, præsertim inter Christianos, qui ejusdem fidei & Domini sunt? Secundam, Cur diversitas donorum tanta sit in unico homine, tamquam in S. Nicolao, pro varietate ætatum, temporum, aliarúmve conditionum?

Describit

Describit Psalmista ps. 44. Ecclesiam, ut multi interpretantur, his verbis: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et verò benè Regina dicitur, Regi summo desponsa, & conjuncta. Benè à dextris, quam protegit brachium Domini usque ad consummationem sæculi. Benè in vestitu deaurato, quia aurum Caritatis nota est Christianitatis. Benè circumdata varietate, ob mirabiles diversitates graduum, ordinum, conditionum, statuum qui sunt in Ecclesia. Adde gratias gratis datas: ut quidam sint Doctores, alii Prophetæ &c. quidam omnes fermè simul gratias habeant, quomodò S. Nicolaus, qui Virgo fuit, Episcopus, Doctor, spiritu prophetiæ pollens, gratia sanitatum & miraculorum eximius, Martyris instar & Apostoli. Certè statim post Apostolos nominatur à S. Chrysostomo in Liturgia sua. Quid si addamus huic varietati diversitatem complexionum, ex quatuor humoribus inter se inæqualiter permistis? Quid si gradûs ingeniorum, & propensionum consideremus? Quid si interiùs in animam ad dona gratiæ penetremus? Meritò igitur quærimus, cur tanta diversitas? Cur non æqualiter omnibus dona sua Deus dispertiat? Scio responderi posse præcisè ex Evangelio: Deum talenta partitum. *Vnicuique secundùm propriam virtutem*, id est secundùm vires, capacitatem, dispositionem. Sed responsio ista quæstioni non satisfacit. Mox enim ulteriùs quæretur: Cur ista virium,

rium, capacitatis, dispositionis diversitas?

Peto vicissim, cur tantam in aspectabili mundo, & rebus infra hominem positis, creator varietatem esse voluerit? In cælis quàm admirabilis stellarum in cursu, magnitudine, situ, influxibus, inæqualitas? Quanta in elementis compugnantia? Herbarum & plantarum speciebus libri magni impleti sunt. Descriptiones lapidum omnigenorum, & fossilium, volumina implevêre. Volucrum viginti species supra centum Aldrovandus numerat: Quadrupedum ducentas Gesnerus: reptilium & insectorum pauciores non sunt: plures multò piscium, quorum ingenia terrestribus animalibus exæquavit Plutarchus, numerum multi præponunt avium & quadrupedum simul sumptorum numero. Si rationem tot inter creata specierum à te postulem, respondebis, opinor, ex D. Thoma lib 3. contra Gentes cap. 97. factum id à Deo ad gloriæ suæ & magnitudinis manifestationem. Tantus erat creator, ut non satis unâ atque alterâ creaturâ ipsius imago exhiberi posset: Cælorum itaque vastitas ejus immensitatem, Sol pulcritudinem, Ignis activitatem, Aër intimam præsentiam & communicabilitatem, Terra immutabilitatem, Mista suis singula compositionibus Potentiam, Bonitatem, Sapientiam repræsentent. Ratio altera sit, ad ornatum Universi. Monochromæ picturæ non ita delectant, quàm diversi colores: neque unius vocis sine inflexione ductus æquè auribus placet, ac permu-

tatio

tatio unius vel plurium inter se. Eodem modo ratiocinare de pictura, & musica Universi. Ratio tertia petitur, ex mutua utilitate: Sole stellæ egent ad lumen: his sublunaria ob influxum: elementis mista: insectis aves pleræque ad alimenta, plantis quadrupedes, omnibus homines.

Transferamus hasce varietatis in natura causas, ad varietatem statuum & gratiarum in Ecclesia Dei. Repræsentandæ erant variis imaginibus variæ perfectiones Dei. Pontifices majestatem repræsentent, Reges dominium, Doctores sapientiam, Ambrosium fortitudinem, Nicolaus liberalitatem, Xaverius caritatem, alii Divorum alia: eorum visis virtutibus, laudent Christiani Deum, diversimodè glorioſum in Sanctis suis. Pulcra esse debuit Ecclesia Dei: est aula ipsius: est Paradisus terrestris & hortus delitiarum. In aula regia, non una aut paucæ res sunt spectabiles. In horto nisi areolarum, sepium, viarum sit jucunda varietas, quis allicietur ad spectandum? Adde utilitatem mutuam. Si omnes sint divites, quis serviet, quis artes colet? Si omnes pauperes, quis juvabit? Si omnes æquè sapientes, quis volet regi? Si idiotæ omnes, quis reget? Si omnes sint Sancti, ubi patiendi & caritatis exercendæ materiæ? Si Sancti nulli emineant in virtutibus quibusdam, ubi spectabuntur exempla? Apoc. cap 12. describitur mulier, id est Ecclesia, *amicta Sole*: significantur dignitates, illustres gradus in Ecclesia.

Luna

Luna sub pedibus ejus: qui in nocte persecutionum, tenebris calamitatum, lumen suum fuderunt Martyres. *In capite ejus corona stellarum duodecim*: Doctores, qui enim docti fuerint sicut stellæ in perpetuas æternitates. Dantur *alæ* mulieri, id est viri Apostolici, qui ad propagandam fidem excurrunt. Denique *terra adjuvit mulierem*, id est homines idiotæ & artifices juverunt Ecclesiam, & aliquando constantiâ suâ in fide, & virtute magis quàm docti. Quisque in statu suo utilis est Ecclesiæ: uti stellæ singulæ in custodiis suis. Et verò non est opus alto statu, ut quis benè se gerat. Tempore Domitiani & Neronis erant multi cerdones, qui meliùs Imperatorem egissent, quàm ipsi. Sed Deo satis erat, si benè cerdonem agerent. Deus non attendit in qua materia operaris, sed quàm benè. Sculptor aliquis in buxo meliùs laborat, quàm alius in ebore: aurifaber hic plus in ære placet, quàm alter in auro. Ita in statuum & virtutum exercitio accidit, ut dicemus etiam postmodùm.

Antè enim solvenda est altera quæstio: cur Deus non tantùm aliis det alias gratias, sed etiam uni eidemque homini diversas. Unum talendum largitur Nicolao, cùm puer esset: duo juveni: quinque provecto: Cur non quinque ab initio? Hic optimè quadrat responsum Evangelii, *Vnicuique secundùm propriam virtutem*, id est secundùm statum ejus, & dispositionem, quam de se affert, voluntatem gratiis aptando. Habes liquorem aliqnem pretiosum.

ante-

antequam phialæ infundas, eam digito exploras, & auri admoves, ut percipias an sonet integram vel fractam. Perfluat anima hominis, & gratiæ liquorem in Sacramētis infusum statim amittat, frangaturque prima occasione peccandi. Deúsne facilè alias gratias infundet tam fragili? Maneamus in Christi similitudine. Mercator servo non statim credit ingentem summam, experitur prius in parva: Si super pauca fuit fidelis, supra multa constituetur, & quasi anima heri fiet. Ita Josepho accidit Gen. cap. 39.

Ita & Sancto Nicolao. Puer sortitur animam bonam, indolem aptam virtuti: en talentum unum. Benè uso dantur talenta duo, Sacerdotium, & paternæ divitiæ. Etiam illis benè utenti dantur, cum Episcopatu, quinque: Gratiæ, Naturæ, Scientiæ, Potestatis, Opum, de quibus consule, si lubet, Salmeronem tract 39. tomi 10. Usum etiam talentorum ex actis S. Nicolai facilè extendes.

Ad nos redeamus, & documenta duo eliciamus. Primum pro iis, qui multa talenta acceperunt à Deo: alterum pro iis, qui pauca. Habes, Christiane, multa à Deo beneficia: fac ne glorieris: fac benè utaris. Mendicum de stipe accepta insolescere quis ferat: quis mancipium de re non sua, sed domini? Præterea laus non est multum accepisse, sed benè usum esse: non sola sunt peccata commissionis, verùm & omissionis, & cui plus datum est, plus repetetur ab eo. Tu verò pauca talenta habes, duo aut unum.

Cave

Cave invideas, cave abjicias animum, cave conqueraris. Tam qui duo acceperat audivit, *Euge serve bone*, quàm qui quinque. In negotiatione quotidie videmus, industrium hominem plus paucis lucrari, quàm multis alium: ita & in negotiatione spirituali accidit. Nam facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam ampliorem, & ampliorem. Utere itaque rectè talento tuo, neque in terram defodias, sed, ut ait Greg. hom. 31. *Cor à terrenis cogitationibus leves.*

DIE CONCEPTIONIS D. VIRGINIS.

THEMA. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Ps. 86.

Sensus literalis planus est. Applicant D. Virgini Athanasius, Augustinus, Ildefonsus, Bernardus &c. Et quod pluris facio Ecclesia &c. Eum sensum sequemur. Sed ipsius oratio, ad gratiam Spiritus Sancti implorandam, sit hujus Sermonis, ut & cæterorum, fundamentum. AVE.

D. Petrus, cujus conversionis fundamentum, D. Virginis precibus ac lacrymis, secundùm Christi gratiam, à multis tribuitur: 1 cap. 2. vult omnes Dei servos esse architectos: *Superædificamini domus spiritualis*, & quidem *cujus culmen pertingat ad cælum*: Sapienter, non stultè, ut Gen. cap. 11. O quale ædificium hodie nobis

nobis proponitur pro exemplari ? *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Tam excelsi ædificii fundamenta benè substructa esse oportet. Quæ illa sint, videamus.

Audîstis hodie genealogiam: quam nobilem, priscam, sanctam in multis ? En orituræ D. Matris fundamenta. Parum hoc inquit; ergo alia longè firmiora, qui montes ærei vocantur apud Zachariam cap. 6. sunt divinæ Providentiæ & prædestinationis æternæ decreta de Conceptione D. Virginis immaculata. Hîc recense seriem decretorum. En ergo fundamenta in montibus sanctis, id est sanctissimus divinitatis decretis. Ex ea explicatione sequitur tertia: Fundamenta D. Virginis, id est Conceptionem, non tantùm immaculata fuisse, sed etiam gratiis & actibus virtutum elevata super montes sanctos, id est supra merita omnium Sanctorum.

Non ita de Matre nostra dicamus, ut nostri simus immemores. Nonne & nos habitacula sumus divinitatis ? Ubi ergo fundamenta nostra? In montibus sanctis, inquies, id est in Ecclesia, & in sanctorum doctrina, quorum filii sumus. At quàm multi in Ecclesia non domos Dei posuêre, sed habitacula draconum? Aliud ergo etiam fundamentum quærendum est, Christus & ejus gratia, ac prædestinatio in ipso. Unde sciam ? Utinam tam fælix sim ! Vide utrum domus tua sit D Virgini innixa, Christo pariter innitetur. Non videtis post Christum D. Virginis cultum esse pro fundamento domibus omnibus

omnibus religiosis? Recensitu faciles sunt. Nonne familiis omnibus præcipuis? Nonne domibus omnibus privatis? Ubi fundamenta vitæ nostræ, à matribus nostris D. Virgini commendatæ, quando primùm concepti fuimus? Ubi fundamenta infantiæ? Ubi annorum: ubi dierum singulorum, nonne à D.V. invocatione? O Virgo, *Gloriosa dicta sunt de te* in Ecclesia: *memor esto etiam Rahab*: & fac ut *omnium nostrum* de tua Conceptione, & beatâ nostrâ spe *lætantium, sit habitatio in te.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Vox clamantis.* Joan. 1.

Recitato Evangelio, & post Angelicam Salutationem.

Obvium cuique est, quo sensu Joannes potuerit dicere se vocem clamantis. Erat vox Verbi Divini: Vox gratiæ: Vox boni exempli: Vox clamans, ut singuli secundùm statum suum viverent &c. O vocem argenteam, claram, penetrantem, non aures, sed corda! O si tales modo voces audiremus? Quid, quæso faceretis? Pœniteret vos peccatorum? Restitueretis ablata? Deo in omnibus obediretis? Contenti essetis stipendiis donorum, & beneficiorum, quæ dat Deus singulis prout vult? Hæccine faceretis, si una vobis insonaret vox clamantis Joannis? Atqui non unam quotidie, sed centena millia auditis: totidem, quot sunt

creaturæ. Estné creatura ulla, quæ non sit vox Verbi, per Verbum facta, ad Verbum ut finem? Estné ulla, quæ non possit sano sensu appellari Joannes, id est Gratia Dei? Tum quia gratiâ Dei est, id quod est: tum quia in hominis gratiam producta, qui ideò ultimo loco productus est, ut in mundum induceretur, velut convivæ aut spectatores ad convivium & ludum antè præparatum, ut advertit Philo libro de mundi opificio. Estné creatura, quæ nobis non inclamet verba Bernardi, *Accipe* seu utere, *Redde* gratias Deo, *Cave* abutaris: tria puncta, & unum exemplum? Estné ulla, quæ nobis facturâ suâ, & exemplo, non commendet illa, quò Sermones Joannis omnes spectabant, à Deo regi omnia, & nos ab eodem regi debere? Audivimus quidem eas voces, cùm primùm tractatûs hujus fundamentum jaceremus: vociferati sunt nobis simul tres mundi: Sed nunc exactiùs & distinctiùs iisdem auscultemus. Pertexantur cætera sectionis 1. in parte 1. à numero 10. ad finem usque.

FERIIS HEBDOMADÆ III.

QUod supererit Officium Bonæ Voluntatis, absolvatur: Dein transeatur ad Adjumenta, quo ordine ac modo exposita sunt. Thema pro primo erit, *Gloria in excelsis Deo*: itidem pro secundo, quia ex comparatione Providentiæ humanæ, magis elucet gloria Divinæ.

Pro

Pro tertio thema erit, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: à contrario enim in terra infælicitas, & inquietudo, hominibus malæ voluntatis. Si videatur diei alicui defuturum ſuum argumentum: ex primo Adjumento, ubi materia valdè luculenta eſt, commodiſſimè fient conciones duæ.

DOMINICA IIII. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini.* Luc. 3.

Poſt enarrationem Evangelii, & Salutationem Angelicam.

Verba quibus Joannes uſus, & quæ ſingulis Aduentûs diebus, jam autem præcipuè, Eccleſia uſurpat, nihil aliud ſignificant, ſi in litera hæremus, quàm diſponite vos ad excipiendum Salvatorem, ſeu, ut loquitur Gregorius lib 19. Mor. cap. 3. *In corde veſtro venienti ſapientiæ aditum reſerate.* Nihilominùs Interpretes varii varia congeſsêre: nemo nitidiùs quàm Ambroſius ſerm. 65. *Videamus ipſe Ioannes, qui parare viam Domino jubet, quam ipſe paraverit Salvatori. Per omnia planè adveniente Chriſto tramitem vitæ ſuæ compoſuit, & direxit.* Via ergo eſt vita noſtra. Cui Ambroſii explicationi filius ejus ſpiritalis videtur conſonare, lib. de Eccl. Cath. moribus cap. 7. *Veræ religionis fide præceptiſque ſervatis, non deſeramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum ſegregatione, & Legis vinculo, & Prophetarum præſagio, & ſuſcepti hominis Sacramento, & Apoſtolorum*

testimonio, & Martyrum Sanguine, & Gentium occupatione munivit. Sanctorum istorum Doctorum exemplo dicamus, Viam Domini non aliam esse, quàm Bonæ Voluntatis: per illam ad nos Dominus venit, per illam debemus ire ad Dominum: neque ullam inveniemus meliorem, quocumque nos vertamus. Via, opinor, ut optima sit, Recta inprimis esse debet: Plana: Nitida: Clara.

Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem, quando sese vult regere. *In circuitu* enim *ambulat*, & ad se semper reflectitur, id est ad malum. Contra, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, quantumvis obliquæ videantur eminùs aspicientibus. Non jam Josephum, Abrahamum, Mosen ostendo: illum exulem, istum peregrinum, hunc errantem. Joannem considera qui parari viam jubet, quâ ipse viâ incesserit, quàm rectà, quàm citò pervenerit, quia Dei voluntate ambulavit; à parentibus semotus, quos amabat; à Christo ipso absens, quem unicè anhelabat. Si austeritatem Joannis istius horres, contemplare viam Domini nascentis in Bethleem, euntis in Ægyptum, revertentis in Nazareth, &c. ascendentis in Crucem: ambages istæ putentur, si oculi fidei desint: at oculatis nihil apparet rectius. Omnia enim exacta sunt ad ipsam rectitudinem, Dei voluntatem. Quid fecit Christus? Quod Pater voluit. Quid passus est? Quod Pater voluit. Interroga nascentem, cur hîc, sic, jam, &c.

Respon-

Reſpondebit, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam*, &c. Cur cum Samaritana agat, &c. ſciſcitare: dicet, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem*, &c. Cur omiſſis doctis pauperes elegerit: *Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Quæ verba in horto audis? Quid ſibi vult iſtud, *Conſummatum eſt.* &, *Pater in manus*, &c?

Inceſſit ante nos Chriſtus eâ viâ, & quidquid aſperum erat, exemplis ſuis complanavit. Quamquam quid aſperum poteſt eſſe, ubi eſt Dei voluntas? Nihil enim illi reſiſtit: nec voluntati ejus, qui vult quod vult Deus. Nec montes occurrunt temeritatis præfidentis: nec valles depreſſæ & abjectæ puſillanimitatis. Qui non plus vult, quàm Deus expetit, non plus vult quàm debet. Qui patitur quod Deus vult, numquam patietur ſupra id quod poterit, quia Deus faciet cum tentatione proventum: & *ubi plus periculi, ibi plus auxilii*, ut dicit Ambroſius, &c.

Nitidiſſimam eſſe viam neceſſe eſt, cùm ipſi placeat Puritati. Nihil magis à præteritis peccatis expurgat, quàm voluntas Deo ſubjecta: bonum latronem intuere, &c. Nihil magis præſentia impedit, & futura prævenit: ut de ſe Gregorius Lopez, celebris in Mexicano regno anachoreta, non pridem mortuus, teſtatus eſt, eo exercitio maximas ſeſe tentationes evaſiſſe. Dicebat enim ferè continenter, *Domine fiat voluntas tua.* Longè frequentiùs, quàm D. Ger-

trudis, cui ſolemne trecenties ea verba quotidie pronuntiare.

Clariùs autem illâ viâ quid eſt, quam Claritas domini circumfulſit, Sol in nocte ortus? Cùm audimus gentem eſſe, ubi nox annum medium durat, quàm triſtis imago nobis videtur? Triduum unum noctis perpetuæ triſtiſſimum fuit Ægyptiis. Ita ſunt qui ſeſe regere volunt. In tenebris ambulant, neſciunt quò vadant, palpant etiam in meridie: cæci ſeipſos cæcos dusentes, &, ut Bernardus loquebatur, ſtulto ſe diſcipulos tradentes. Deo laus, *nox præceſſit, dies appropinquavit.* Luminoſiſſima eſt via Regia ſanctæ Crucis, quia Regia. Rege per tenebras incedente, ubique accenduntur funalia: Chriſto per viam Crucis incedente, arſerunt piorum corda, & totam illam ſemitam ita illuminaverunt, ut quamvis Chriſti exemplum deeſſet, à Sanctorum tamen ipſum ſequentium exemplis dicere poſſet veriſſimè, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Sol lucet, Luna lucet, ſtellæ lucent: undique dies oculis ingeritur. Ambulemus in lumine Dei noſtri. O Chriſte rectitudo ipſa deduc nos: Æqualitas complana nos: Puritas expurga nos: Lux illumina nos.

FERIIS HEBDOMADÆ IIII.

TRactentur Fructus bonæ voluntatis. Pro primo thema ſit *Gloria in excelſis Deo:* pro aliis

aliis duobus, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Epilogus quartam Concionem faciet, præfixo utroque themate: neque omittendus videtur, etsi Adventus brevior esset: potiùs contrahendæ forent aliæ Conciones.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Joan. 20.

Thomæ nomen duo significat, Abyssus, & Geminus. Ex hoc Evangelio verè fuit Abyssus D. Thomas, & quidem duplex, miseriæ & misericordiæ: abyssus abyssum invocavit. Fuit geminus facie duplici, unâ horrendâ peccatoris, aliâ pulcerrimâ pœnitentis & Justi. Vtramque intueamur: illam pinxit liberum arbitrium, hanc gratia, quam imploremus. AVE.

Ex frequentissimis pariter & maximis Providentiæ divinæ miraculis, est rerum compositio ex contrariis, & vicissitudo perpetua. Siracides cap. 33. *Duo contra duo, unum contra unum.* Intuere mundum magnum, tempestates annuas, elementorum pugnas, lucis & tenebrarum alternationem. Iutuere mundum politicum; nunc pacem, nunc bellum; nunc prosperitatem, nunc adversitatem; nunc ortus regnorum, nunc interitus. Intuere mundum parvum, id est hominem, quæ pugna in humoribus, quæ varietas in ætatibus, quæ in membris sanitateque mutatio? Quid autem si interiorem hominem inspicias;

nunc bonum, nunc malum; nunc in cælos erectum, nunc in terra repentem; nunc totum Dei, nunc totum sui; nunc peccatorem, nunc justum? Neque in hominibus tantùm idiotis tales mutationes permisit Deus, sed etiam in columnis cæli, in Apostolis suis, ut si quando, quod absit, fragilitas nostra ad malum nos trahat, animum non despondeamus, neque obstupescamus, tamquam ad rem insolitam.

Thomas ille tam generosus, ut mortem cum Christo, & pro Christo, provocaret, *Eamus & nos, & moriamur cum eo:* ille talis ante Christi mortem, quò devenit post mortem? Ad abyssum & fundum peccati. Unde tamen mox ad altissimum sanctimoniæ culmen surrexit, gratiâ Christi resuscitati. Dubitari non debet, quin peccatum D. Thomæ fuerit Infidelitas & quidem positiva. Varia enim sunt Infidelitatis genera, & species &c. Non dubitavit Augustinus serm. 59. *Dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide.* Ea infidelitas fuit Hæresis, cum pertinacia. Accessit Superbia, quod alios præ se contemneret: Præsumptio, quod vellet tangere Christum, & pro se fieri miraculum: Obduratio ad tot dies, & tot sine dubio Apostolorum obtestationes. Caussæ istorum peccatorum fuerunt, Absentia à bono consortio, alia Infidelitas, Passio vehemens. Hæc facilè extendentur, tum ex rei ipsius natura, tum ex Interpretibus, præsertim Toleto.

En Thomam valdè malo loco: numquam

forsan

forsan tam malo ipsum vidistis. Sed manete tantisper, & miraculum misericordiæ intuemini. Venit Christus, fornacem amoris gestans in pectore, ut expellat frigus omne peccati &c. Compensat Thomas Fide Infidelitatem, *Deus meus* &c. adeò ut proponatur ab Ecclesia pro exemplo fidei in Collecta hodierna. Constantia succedit pertinaciæ, in tot Apostolicæ vitæ malis patiens &c. Humilitas contundit superbiam, placet ipsi ut peccata sua publicentur. Præsumptionem vera spes expellit, inde miracula. Obdurationi longæ opponitur diuturna per Indias peregrinatio cum laboribus.

Habemus timendi materiam in D. Thoma, talis &c. Multò majorem sperandi: clamat nobis idem, quod D. Paullus, *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus &c.* Quid duos numeramus, cùm sint innumeri? Dicimus, Judicium extremum esse Theatrum divinæ Justitiæ. Mihi videtur, non minùs esse Theatrum Misericordiæ. Fingamus nos ibi esse, nec jam in turba eorum, qui à dextris sunt, hæreamus; sed eos intueamur, qui sedent super sedes duodecim? Quinam illi fuerunt? Spero, Christe, per suavem & fortem tuam gratiam fore, ut, unà cum illis, providentiæ tuæ mirabilia, & misericordias tuas, in æternum cantem.

NATALI CHRISTI.

THEMA. *Pax hominibus.* Luc. 2.

Totus sermo erit de quadruplici pace, per Christum nascentem hominibus oblata. Parvulus noster Samuël, postulatus tot votis à Deo, & concessus, ingreditur in Bethleem: pacificus est ejus ingressus. Pacem primam offert, concordiam voluntatum divinæ & humanæ, quæ, antè inter se discordes, jam in una persona mirè conveniunt, & Deus est in Christo mundum reconcilians sibi, eique pacem ultro accini jubens per Angelos suos. Altera est tranquilla libertas à jugo peccati, sub quo nos vetusta servitus tenebat. Tertia, est ordinatus rerum appetitus: docet enim nativitatis suæ circumstantiis temporalia contemnere, quibus bella & turbæ in animis hominum cieri solent. Quarta, est affluentia bonorum omnium spiritalium, quæ nobis dives cæli negotiator datum venit paupertate sua. Concludi poterit adhortatione ad caritatem, & concordiam mutuam, in die pacis: cùm enim *Natalis Christi*, ut ait D. Leo, sit *natalis pacis*, fideles offerre ipsi debent *pacificorum concordiam filiorum*. Argumentum hoc tractamus fusè Excursu ad cap. 13. Mach sect. 6.

DIE S. STEPHANI.

THEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Ante

Ante Salutationem Angelicam, quæratur, cur festum Sancti Stephani fiat statim post Natalem? Vide Baronium in Martyrologio, & Concionem S. Fulgentii: Subde pro ultima ratione, quia verè fuit homo bonæ voluntatis, cui Nativitas Christi pacem attulit, & spiritalem Nativitatem. AVE.

Heri diximus de quatuor significationibus Pacis: de particula autem ista, Bonæ Voluntatis nihil. Variæ sunt explicationes: quidam legunt Bona Voluntas: alii dicunt Bonæ voluntatis referri ad Pacem: alii & communiter referunt ad Homines, & hi dupliciter explicant, pax hominibus quibus benè vult Deus, aut qui benè volunt, suam voluntatem dirigendo ad Deum. Consule Interpretes. Ostendemus utroque modo D. Stephanum fuisse Hominem Bonæ Voluntatis, & meritò illi Pacem nuntiatam. Benè Deum voluisse Stephano, colliges ex prærogativis, quas congerunt varii. Electus è primis discipulis, forsan è 72. Diaconus. Primus Diaconus sive Archidiaconus. Inde Spiritus Sancti gratia aucta. Miracula patrata. Prædestinatus ut esset Protomartyr. Spectante, juvante, pugnante pro ipso Christo.

Bonæ Voluntati Dei respondit ipse bona sua voluntate. Voluit quod Deus: *Intendens in cælum vidit gloriam Dei*, & salutem hominum, nil aliud respexit. Considera in Concilio. Vult Deus patientiam, & ut mala toleremus, etiam per hominum malam voluntatem accidentia:

tulit Stephanus, audi orantem, imitatur Christum, secuti alii.

In terra Pax homini bonæ voluntatis. Vis Stephane quod Deus vult; vult ipse quod vis, te salvare. Libertatem habebis, efferêris supra minas, calcabis mortem ipsam. Appetitus erit tranquillissimus, faciesque Angelica vultum animi sereni testabitur. Affluet tibi abundantia bonorum omnium, cum vita æterna: *Finis* enim *hujus civitatis* Jerusalem apud Aug. 19. de Civ. cap. 11. *vel pax in vita aterna, vel vita aterna in pace dicendus est.* Ad eamdem coronam cum Stephano enitamur, iisdem gradibus voluntatis.

DIE S. JOANNIS.

THEMA idem.

Apud homines magni fit iste titulus Homo boni judicii, sensûs, ingenii, conversationis &c. Quid autem ista sine bona voluntate? Facit voluntas bonum: intellectus doctum. Amisit diabolus bonam voluntatem, non bonum intellectum, & tamen diabolus est, &c. Exemplum bonæ voluntatis in D. Joanne. D. Virgo mater Christi & Joannis. AVE.

Ingressus sit ex D. Thoma p. 1. q. 20. a. 1. *Virum amor sit in Deo:* tum a. 2. *Virum omnia amet*, & quomodò aliter quàm nos: denique ex a. 4. in corpore, quid sit Deo magis diligere, scilicet majus bonum velle. Unde colligo clarè,

cùm

cùm Deus singulariter Sanctum Joannem dilexerit, plurima ipsi bona contulisse. Prærogativas Joannis congeres huc, si placuerit. Ego contentus essem duabus: Virginitate corporis eximia, ita ut ne D. Virginem quidem umquam dicatur fixè intuitus: Virginitate animi, ut putetur numquam mortaliter peccasse, discipulus ille non moritur, & quod de D. Matre Ambrosius, *Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente.* Nec mirum cùm Caritas tanta esset in ejus corde, quæ eum faciebat hominem perfectissimæ voluntatis. Vide ejus epistolas Canonicas. Audi perpetuum de Caritate monitum cùm esset Senex. Attende quid fecerit pro adolescente sicario. Tam bona voluntas sine pace esse non poterat: hinc illa animi compositio, vultus æquabilis, libertas à passionibus &c.

DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

THEMA idem.

Apud S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. dixerunt aliqui Innocentes Martyres fuisse homines bonæ voluntatis activæ. Fuisse eis acceleratum usum rationis &c. Sed certum est fuisse tantum Bonæ Voluntatis passivæ. AVE.

In tragœdia hodierna actores duo sunt præcipui: occultus unus, alter apertus. Hic est Herodes Ascalonita, qualis vir? Alter, est Deus, sine quo Herodes nîl agere potuit, &c. & à quo ad bonum directa mala. Illius Injustam

crudeli-

crudelitatem videbimus: hujus ex illa Juſtam bonitatem, tam malo inſtrumento, tam miſericorditer utentis.

Injuſtitiam Herodis aliqui voluerunt minuere, quod parentibus non invitis cædem patrârit; ideò non videri patres reſtitiſſe, tantùm audiri luctum Rachel, id eſt matrum: imò ad inducendos parentes, occiſum ab eo ſuum filium. Excuſatio calva, ſine cauſsâ, innoxios, pueros, in quos jus mortis patres non habent, occcidere quî liceat? Sed eſto Injuſtitia tanta non ſit: quis tamen Nero, Tamirlanes, Barbarus non odio ſit, ſi in eos annos ſæviat? Adde tanto numero: eodem tempore; cùm Pharao tolleret unum poſt alium, prout naſcebantur: cauſſam, ex ambitione: finem, ut Meſſiam tolleret,

Relinquamus Monſtrum iſtud, Dei Juſtitiam & Bonitatem attendamus. De Juſtitia antiqui aliqui videntur laboraſſe: ideoque dixiſſe, vel ob peccata futura, vel ob præſentia, permiſſam à Deo cædem infantium. Effugia iſta nolumus, cùm pateat Juſtitia Dei: primò, quòd ſit Dominus vitæ: fructus immaturos decerpit hortulanus, &c. Secundò, Ob cauſſam ſuperiorem, & magis ad bonum commune ſpectantem, inferior & minùs utilis corrumpitur. Tertiò, peccata parentum puniuntur, qui Chriſtum & Mariam non exceperunt in diverſorio, & turbati ſunt cum Herode. Ita primogeniti in Ægypto occiſi propter Patres. Quartò, parvum malum compenſatur maximo bono, titulo & honore

Martyrii.

Martyrii. Quid de ista re Patres dicant, quid Ecclesia. Martyres etiam in utero matrum erunt infantes nondum nati, si commoriantur matribus in fidei caussa. Ab Herode discamus, imperare affectui erga res temporales. Effrænis abripit hominem, & præcipitat paullatim ad ima vitiorum. Neque ambitio solùm, sed avaritia, sed luxuria: numquam dicunt, sufficit.

A Deo discamus, omnia in bonum convertere. *Diligentibus Deum*, ut ait Rom. 8. Paullus, *omnia cooperantur in bonum*. Bonis spiritualibus, ad profectum utantur: bonis temporalibus, ad caritatem: malis spiritalibus, ad humilitatem: malis temporalibus, ad patientiam & augmentum virtutum omnium.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS.

THEMA. *Ecce hic positus est in ruinam, & in Resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Luc. 2.

Legitur hoc Evangelium in Octava Nativitatis. 1. Quia de infantia Salvatoris agit. 2. Quia quomodò dicitur D. V. conservasse omnia verba pastorum, ita & hîc Simeonis. 3. Quia Simeon divinum horoscopum facit de Christo infante, ipsíque eventuris: Explicabimus. AVE.

D. Augustinus, diversos in igne damnatorum effectus considerans, lib. 21. de Civ. cap. 4. ostendit eamdem effectuum diversitatem naturaliter

raliter esse in palea, & in igne. Consule eum locum. Christus recens natus Ignis est divinus, & quidem jacens in Palea, & quasi Palea ipsemet repositus in præsepio. Effectus varios ejus ignis, & Paleæ, insignis Philosophus Simeon demonstrat, *Ecce*, &c. Quomodò in ruinam, quo nascente canitur Pax ? Quomodò verò in Resurrectionem, si in ruinam? Quomodò signum cui contradicetur, quem omnes amare deberent, gloriamque ac pacem cum Angelis accinere ? Difficultates enodemus.

Apud Toletum, Salmeronem, Maldonatum, aliosque, abundè invenies, quibus sententiis possit dici veniisse Christus in ruinam. Deinde quibus etiam in Resurrectionem. Denique, quomodò in signum cui contradicetur, id est scopum jaculatoribus propositum: qua de re insignis est Origenis sententia, quomodò in omnibus Christo contradictum sit. Præcipuè tamen in Passione *sustinuit talem adversùs semetipsum à peccatoribus contradictionem.* Imò & religioni ipsius contradictum, & modò &c.

Ex illis Concludamus, primò, Zelum nobis esse debere defendendi Christi adversus contradictores. Opprobria exprobrantium ipsi cadant super nos: *Bonum nobis, si nobis dignetur uti pro clypeo*, ut dicebat Bernardus. Secundò, si alii in ipsum jaculentur, ut scopum suæ aversionis: nos in illum omnes actiones nostras, & affectus dirigamus, velut scopum, nostræ bonæ voluntatis. Ipse est α & ω principium & finis.

Ex

Ex ipsius gratia orta bona voluntas, ad eum revertatur, ut iterum fluat. Ita nobis erit Christus non in ruinam, sed in Resurrectionem.

DIE S. SILVESTRI.

THEMA. *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes.* Luc. 12.

Parabolas binas exhibet Evangelium, eodem fine utramque, ut doceamur esse parati ad mortem. Nescimus certè an sequentem annum, etsi tantillo tempore à nobis distet, visuri simus. Opto tamen in antecessum cum votis optimis, &c. Videmus fuisse vigilantem S. Silvestrum. AVE.

Si quæ res est, in qua debemus esse Resignati. Indifferentes, Fiducia pleri, quæ Officia numeravimus bonæ voluntatis, ea est mors nostra, quam nescimus quando Deus nobis assignârit. Pendeamus igitur in futurum à Dei voluntate; qui vitæ nostræ posuit terminos, qui præteriri non poterunt: permittamus nos ejus Providentiæ, & resignemus, quando nos mori volet: & ut faciliùs utrumque illud faciamus, fidamus Deo, speremusque futurum, ut mors non accidat nobis, nisi ad bonum nostrum. Ne tamen fiducia nostra malè fundata sit, & evadat in præsumptionem, demus operam, ut benè ordinemus vitam nostram, & noctis hujus vigilias diligenter agamus. *Beati* enim *servi*, &c. Exemplum nobis proponitur in D. Silvestro. Vigilias

quatuor

quatuor noctis olim fuisse constat, suntque etiam hodie apud plerosque. Nox vita nostra est, præ die æternitatis: quatuor ejus vigiliæ Juventus, Virilitas, Senectus, Ætas decrepita, etsi alii aliter partiuntur. Pueritiam non numero, quia vix vigilia est, dormit plerumque ratio. In Juventute complector adolescentiam. Virilitas maturos cogitando & agendo annos, in vegeto adhuc corpore, comprehendit. Senectus in declivi est, affectis jam viribus, sed nondum abjectis. Decrepitam ætatem voco, quæ Psalmistæ vocatur *labor, & dolor.*

Prima vigilia Silvestri acta sub Cyrillo Presbytero, & qualiter. Olim soliti se dare in disciplinam virorum proborum: Origenes puer Clementi traditus: Gregorius Thaumaturgus Origeni: Martinus Hilario &c. Quid jam agendum.

Alterâ vigiliâ, fit Sacerdos. Quanti gradus ille faciendus: quomodò fierent olim impulsu populi, uti Paullinus, Augustinus &c.

Tertiâ, Pontificatus Maximus. Miracula ab eo patrata possunt per præteritionem narrari ex Baronio. Vera Sanctitas in operibus. Duo stringo, Arii condemnationem, Constantini conversionem. Per hanc dici potest S. Silvester Apostolus totius orbis, sicut S. Remigius dicitur Apostolus Franciæ ob Regem Clodovæum conversum.

Quartam vigiliam non attigit S. Silvester. Neque interest quando moriaris, dum benè.

Qui

Qui primâ vigiliâ deprehenduntur vigiles, æquè audiunt *Beati*, atque qui quartâ. Somnus peccati vitandus omnibus, omni ætate: quia nescimus, quâ horâ venturus sit Dominus. *Omnibus dico, Vigilate*, Videte vobis, & providete in futurum, ut & vobis provideat Deus.

DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS.* Luc. 2.

Post vota fælicis anni, ut solet, præmissa, dicatur non sufficere optari bonum annum, sed discendum modum eum habendi, quod jam fiet. AVE.

Si quæremus, quis optimus vitæ nostræ annus, alii aliter respondebunt, pro genio suo & affectu. Christiano optimus ille est, qui maximè de bona æternitate participat, eò tendit, Æternitati pingit, laborat: Agit, Abstinet, Sustinet. Huc refer procœmii numerum tertium & quartum. Ut benè agamus, sumamus nomen JESU: ut abstineamus, cultrum circumcisionis: ut sustineamus, lacrymas & Sanguinem Christi circumcisi.

Omnia in nomine Domini IESV, bonas actiones, imò & indifferentes, &c. Vide hac de re Chrysostomum Oratione habita Calendis, ad illud *Omnia in gloriam Dei facite.* Flores inscripti nomina Regum, aut potiùs Regis Regum, nascun-

nascuntur in terris Christianorum.

Non sufficit agere in nomine JESU, nisi abstineatur in ejus nomine, circumcidantur non tantùm peccata, sed occasiones peccandi. Xenia milites Duci, subditi Principi, filii parentibus hodie offerunt. Christo nihil nos hodie meliùs, quàm seriam voluntatem hoc anno, qui forsan postremus nobis erit, abstinendi à peccatis. Quid enim nobis prodest, si universum mundum lucremur, animæ detrimentum patiamur? Quò abiêre anni præteriti? Quid nobis inde supereſt, si malè viximus, &c.

Nec tantùm mala culpæ caveamus, sed mala pœnæ patiamur. Pati facile est: pauci nostrûm sine dolore annum præteritum transiêre, pauci hunc transibunt. Demus operam, ut benè patiamur. Bonæ voluntatis homo hoc facit: Considerationes potentissimas in eum finem attulimus, toto hoc Tractatu. Addi pro coronide debent lacrymæ Christi. Si tanti facit ipse lacrymas nostras, ut ponat in conspectu suo; ponamus & nos ipsius fletum puerilem in conspectu nostro, jungamus & sanguinem. *Vnicus sine peccato, non tamen sine flagello.*

Claudatur concio iteratis votis anni Christiani, & vitæ fælicis. Fieri poterunt verbis, quæ Moses jussu Dei Sacerdotibus olim præscripserat. *Sic benedicetis Filiis Israël, & dicetis eis,* &c.

Potueram isthæc omnia multò fusiùs extendisse. Sed visum est meliùs industriæ Concionatoris aliquid relinquere, ut rem suam faciat.

Sua

Sua enim plerique lubentiùs, honestiùs saltem, dicunt. Quamquam etiam non rarò evenit, ut meliùs aliena quidam dicant, quàm alii sua, quia vel sunt corporis habitudine, vel animi præparatione meliore. Quomodò interdum accidit, ut procuratores mercatorum plus eorum distrahendis mercibus lucri faciant, quàm mercatores ipsi: quia negotiationem majore vel industria, vel fælicitate exercent. Id tibi opto, si quis hisce aliisque nostris utêre.

INDI-

INDICULUS CONCIONUM.

Dominicâ primâ Adventus.	pag. 291
Feriâ secundâ.	297
Feriâ tertiâ.	298
Feriâ quartâ.	299
Feriâ quintâ.	ibid.
Die S. Andreæ.	ibid.
Dominicâ secundâ Adventus.	303
Feriis hebdomadæ secundæ Adventus.	304
Die S. Nicolai.	305
Die Conceptionis D. Virginis.	311
Dominicâ tertiâ Adventus.	313
Feriis hebdomadæ tertiæ Adventus.	314
Dominicâ quartâ Adventus.	315
Feriis hebdomadæ tertiæ Adventus.	318
Die S. Thomæ.	319
Natali Christi.	322
Die S. Stephani.	ibid.
Die S. Ioannis Evang.	324
Die SS. Innocentium.	325
Dominica infra Oct. Nativitis.	327
Die S. Silvestri.	329
Die Circumcisionis.	331

FINIS

ERRATA.

Pag. 30. l. 7. barbarici, *pro* barbariei.
Pag. 39. l. 1. Quamadmodum, *pro* Quemadmodùm.
Pag. 64. l. 14. antiſtem, *pro* antiſtitem.
Pag. 69. l. pen. tei, *pro* rei.
Pag. 79. l. 15. iſtar, *pro* inſtar.
Pag. 104. l. pen. facultatem, *pro* facultates.
Pag. 119. l. 19. ciupiam, *pro* cuipiam.
Pag. 131. l. pen. Eleazeri, *pro* Eleazari.
Pag. 151. l. 3. petandum, *pro* petendum.
Pag. 176. l. 7. cæteta, *pro* cætera.
Pag. 210. l. 2. efferre, *pro* offerre.
Pag. 215. l. 5. agritudinis, *pro* ægritudinis.
Pag. 255. l. 9. eſuriri, *pro* eſurire.
Pag. 258. l. 14. vevere, *pro* vivere.
Pag. 260. l. 1. &, *pro* etſi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN